

Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

GISBERTI VOETII

DISCEPTATIO DE LUSU ALEÆ.

à censuris vindicata.



ULTRAJECTI,

Ex Officina JOANNIS à WAESBERGE,
Anno clɔ Iɔ c lx.





Benevolo & Pio

LECTORI

Salutem.



UM ante annos circiter sex & viginti ad professionem Theologicam huc evocarer, hoc imprimis in nova hac Sparta exornanda mihi propositum habebam, ut orthodoxam Theologiam ex fontibus scripturarum discipulis non tantum explicarem, & contra adversariorum objectiones munirem, sed etiam usum ejusdem ex professo sigillatim ostenderem, & filios Prophetarum assiduò ad praxin & δύναμιν εὐσεβείας manu ducerem atque assuefacerem. Sciebam hoc votum esse ecclesiarum nostrarum, hoc postulatum Synodorum provincialium, hoc consilium celebris synodi Nationalis Dordracenæ Anno 1618, sess. 18. (cui me divinâ gratiâ interesse voluit, & unicum ex omnibus membris, quod sciam, hodiè superesse); & hanc mihi perpetuo stetisse sententiam, non alios sacro huic operi admovendos, quam qui parati & idonei essent utrâque manu ædificare, juxta illud Nazianzeni: Η μὴ διδάσκειν ἢ διδάσκειν τῷ τρόπῳ.

Dum ergo lectiones meas inchoo oratione de pietate cum scientia conjungenda, paulo post publicè edita, dumque assiduo hortatu, quà publicè, quà privatim ad cognitionem & praxin practicæ Theologiæ incito, quin & publicis diatribis tanquam prophylacticis contra in Academiis plerumque grassantes pestes, inter quas non infimæ, compotationes & aleæ, lubricam ætatem pro virili munio: factum est, ut in partem laboris hujus venientibus ἰσοψύχοις Collegis postea mihi adjunctis, in tantum Deus huic Academiæ, & in ea studio Theologico benedixerit, ut intra paucos annos non pauci ex disciplina nostra ad curas ecclesiarum & professiones Academicas, tum in Belgio tum apud exteros promoti eidem methodo insisterent, & à nobis accepta fidelibus hominibus committerent. In hac Dei benedictione cum passim nobiscum gauderent pii, suosque ad cultum sapientiæ ac pietatis capiendum certatim huic Academiæ committerent, effugere illa non potuit adversariorum malevolorum odia atque insectationes, & aliorum, quos minimè decebat, invidiam, ac susurros. Quid? quod ipsa nomina Theologiæ practicæ, casuum conscientiæ, exercitiorum pietatis seu asceticæ, in hujus Academiæ probrum odiosè exagitata fuerint. Ne quid dicam de

spe-

specialibus quæstionibus moralibus, & casibus conscientiæ, ubi innoxiæ theses Academicæ, ut ut de consensu Patrum & reformationis nostræ Theologorum ac Synodorum in usum studiosorum conceptæ, aliorum incursus & insultationes non potuerunt effugere. Nuperrimè, ne quid mundo patrocinii deesset, in libello quodam vernaculo contra sabbathi sanctificationem emisso, hæc Academia sarcasticè traducta est, quod de capillis, de abusu bonorum ecclesiasticorum sub titulis canonicalibus, de publicis fœneratoribus, quos Trapezitas seu Lombardos appellant, de excelsis mundi in ea actum sit: libris scilicet publicatis, aut propositis disputationibus. Causam & historiam Lombardicam & Canonicam alibi exhibitam, volens nunc prætereo. Sed quia titulus de excelsis mundi *actorum apud nos ignaris novi ex Africa monstri suspicionem fortè injiceret, & ipse tituli illius exagitator, disputationes nostras illo titulo insignitas forte non vidit, saltem Juliani illud* ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων *ullo cum colore usurpare nequit: non gravabor tribus verbis hâc occasione referre, quid sit* de excelsis mundi. *Anno* 1643. *in gratiam juventutis Academicæ conscripsi & publice ventilandas proposui quinque disputationes, titulo generali,* De excelsis mundi ad VII. decalogi præceptum; *sub quinque titulis specialibus,*

seu sub titulis 1. de Choreis. 2. de Comœdiis. 3. de Abusibus in victu & conviviis. 4. de Luxu & vanitate in vestibus, domibus, suppellectile. 5. de Ornatu faciei & capillorum. *Nihil hic culpandum. Si enim in his & circa hæc peccatur & quidem peccatis excellenter peccantibus, & si multi hæc idola fervidissime colunt; an Theologis & animarum curatoribus ad ea attendendum non est? Quid à me & Theologis in hac Ecclesia & Academia,* ἴδιον, *novum, insolens,* ἄκαιρον *hâc in parte tentatur? cum constet Patres, Doctores reformatos, Synodos tum nostras tum exteras tritam hanc viam ante nos calcasse, quod ostendunt citationes; & praxin ecclesiasticam in publicis concionibus, privato-publicis hortationibus, correptionibus, censuris tunc temporis adhuc sic satis viguisse: quamvis postea præsertim annis postremis apud nonnullos dormire, si non languere cœperit. Deus clementer avertat, ne in his aliisque ex neglecta praxi oriatur Theoretica veritatis impugnatio, & excelsum illud* συνευδοκίας *peccatum, de quo Apostolus* Rom. 1. vers. 32. *Sed dicet forte quis ex æmulis, & fastidiosis Aristarchis, aut mundi sectatoribus, non satis accurate, forte nimis accurate nonnulla istic à me pertractata esse, juxta illud vulgatum,* τὸ λίαν ἀκριβὲς ψευδές. *Cui respondeo, me, cum non sim* ἀνυπεύθυνος, *potuisse*

tuisse alicubi à justa ἀκριβείᾳ aberrare: insuper sponte fateri, me inter tot occupationes currente prælo festinanter scribentem mihi non ita satisfecisse, ut δευτέρων φροντίδων accurationi diatribas illas non destinarim. Heterodoxa, absurda, male sonantia, periculosa, scandalosa, peregrina, nova, paradoxa à communi Patrum aut reformatarum ecclesiarum doctrinâ abhorrentia, aut in eam incurrentia, chartis committere nolui, nec memini me commisisse. Si quid tale commonstrari possit, monitori gratiam habebo, & aut totum tollam, aut ita emendabo, ac mentem meam explicabo, ut non dubitem, quin pio atque æquo Lectori cuivis satisfacturus sim. Absit modo livor, vindictæ cupiditas, affectata inter mundum & Christum neutralitas, syncretistica circa praxin virtutis consilia, nec nostra imperfectio, aut ἀργία gratitudinis, atque obedientiæ, quam lex postulat & Deo debemus, mensura constituatur; nec præsumta viæ facilitas, aut affectata vitæ hujus vitalitas vim pietatis ad meram morum civilitatem & gratiosam cum hominibus conversationem redigant, cujus partem an mavis appendicem, faciat religionis aliqua professio & μόρφωσις εὐσεβείας: ad instar eorum χαριέντων (uti eos appellat Philosophus Ethic. Nicomach 1. cap. 5.) *qui summum bonum in honore quærunt. Quod si tamen alicui stet*

 animus

animus hæc aliaque excelsa mundi ex reformatis ecclesiis tollenda retinere aut restituere; hoc unice optamus, ut, si qua causæ fiducia, res ipsa candide & seriò tractetur; & procul habitis parergis, rhetoricationibus, punctiunculis, cavillis, personalibus insectationibus, antithesis cum thesi, res cum re, scriptura cum scriptura, ratio cum ratione concertet. Ita rectius ab illis, qui ex principiis dubitationum scientiam suam architectati sunt, judicari poterit, sitne ακριβὴς Patrum & reformatorum Theologiæ practicæ doctrina & praxis ultra defendenda, an potius versâ velificatione, moderate mitiganda, interpolanda, sufflaminanda, si non condemnanda. Theologiam hic intelligo moralem, de mortificatione seu abnegatione sui ipsius, de sabbathi sanctificatione, de fœnore, de pauperum & ecclesiarum peculio, de bacchanalibus, encæniis, floralibus, Martinalibus, festo trium Regum &c. de fuco, de fœminarum denudatis pectoribus, de choreis & ballettis, de comœdiis, de alea, de disciplinæ ecclesiasticæ vigore, de potestate ecclesiasticâ, de excessu in conviviis, deque insanis sanitatibus vere Comi Bacchique excelsis, de fraudatione vectigalium, de palliata simonia, de idololatria indirecta & participata, de consueto nominis divini abusu, de domesticis pietatis exercitiis, de rudium tum parvulorum tum adultorum catechizationibus, de crebris

& per-

& perspicue, prudenter, efficaciter applicantibus concionibus earumque repetitionibus, de crebris ovium non tantum sed & extraneorum per pastores visitationibus, hoc est, institutionibus κατ' οἶκον (Actor. 20. v. 20.) de publicis & privatis jejuniis, de crebro conscientiæ examine & resipiscentiæ renovatione. Quibus laxatis aut luxatis, non potest non sequi puritatis articulorum fidei & dogmatum euangelii corruptio, primum per prudentiæ carnalis moderationem, deinde per ψευδωνύμου σοφίας antilogias, unde tandem fidei naufragium (1 Tim. 1.) & ecclesiæ πανολεθρία exspectanda. Hæc cura est, quæ nos nunc coquit & versat sub pectore fixa: hæc stat sententia, vim pietatis cum solida sapientia, fidem cum resipiscentia & caritate non ficta conjungendam, utramque pariter promovendam, Satanæ stratagemata contra utriusque conjunctionem detegenda. Hoc discipulis nostris publice privatimque tradimus, inculcamus. Hæc si alicui nova, ἄδοκοπα, periculosa videantur susurris, mysteriismis, cavillis, libellis famosis exagitanda, si cui fabellis & stupidis calumniis per apertos pietatis hostes, aut falsos fratres excitatis pasci volupe est magis, quam veritati, & caritati studere: utique ferendum est illis, qui in paternæ Dei sui providentiæ pulvinar suaviter recumbentes testimonio bonæ conscientiæ

gloriantur, & cum Paulo profiteri audent, se secundum illam viam, quam illi sectam appellant, Deo patrum suorum servire. *Sed de his hactenus. Accedo nunc ad praesentem hanc disputationis nostrae de alea vindicationem; cui occasionem dedit Thomas Gattakerus celebris in vicinia aut suburbio aliquo urbis Londinensis, ecclesiastes. Is partem disputationis meae* de Sortis aliisque nominis divini abusibus 24. *Decembr. Anno* 1636. *hic editam, atque unà caput* 11. *lib.* 2, *Medullae Theol. Amesii libello peculiari aggressus est; non sine bilis concitatione, & indignà satis ac contumeliosa insultatione: cum tamen ab Amesio nominatus non esset, nec à me quamvis nominatus vel verbulo laesus; uti ex lectione disputationis aequo cuivis Lectori constare poterit. Videtur vir ille fuisse ἰδιογνώμων & eo ingenio, ut cum à peculiaribus opinionibus suis dissentientes vix ferret, aut aceto eos perfunderet, aut prior invaderet. Nôrunt hoc, qui libellum Anglicum Jacobi Balmfordi de lusu aleae A.* 1623, *editum, & Gattakeri refutationem Thesium magni illius Theologi Gomari de materia & forma justificationis, ejusdemque tractatum Pfochenii libello de stylo N. Testamenti oppositum, scripta itidem Anglicè de Alea viderunt. Libellus Gattakeri initio anni* 1637. *scriptus anno* 1638. *demum editus est, approbante*

eum

eum archiepiscopi Cantuariensis sacellano, tanquam nihil continentem quod sanæ doctrinæ & bonis moribus contrarium esset. *Novit Anglia quæ sana doctrina, qui boni mores tunc dominarentur, quæ illic facies esset ecclesiæ reformatæ, cum ingemisceret, & videret se factam Ladensem, tanto à primæva reformatione remotiorem, quantò Papismo propiorem. Libello hoc ex Anglia mihi transmisso, non leviter dolui, quod causa hæc tam infamis & piis omnibus exosa publicum nacta esset patrocinium, & quidem ejus viri, quem ob lectas aliquot ipsius conciones inter melioris notæ concionatores, orthodoxiæ ac pietatis, in tanta corruptionum inundatione, tenacissimos ante hac numeraveram. Non memineram Theologum quem, nedum reformatum, aut etiam Philosophum, ne quidem Gentilem, Muhammedistam, Judæum* τὸ πρέπον *ita posthabuisse, ut, quidquid secum sentiret aut ageret, publicè peculiari libro pro alea decertaret. Laus illa soli Imperatori Claudio hactenus illibata servari videbatur: quem librum de arte aleæ scripsisse ferunt* (Sueton. in Claudio c. 33.) *quemque Æaci sententia (apud* Senecam in ludo de morte Claudii) *aleâ ludere pertuso fritillo, & fugientes semper tesseras quærere jubebat: nova scil. excogitatâ apud inferos pœnâ, ad* instituendum illi laborem irritum, & alicu-

jus

jus cupiditatis speciem sine fine & effectu. *Obscurus ille & vernaculus aleæ encomiastes apud Gallos nullo numero est, & à* Verderio *(infra nobis citato) satis infamatus inter honestos & honoratos esse desiit. Anglicus ille libellus cujusdam* Dunæi, *quem censor indicat, qualis & quantus esset tunc planè ignorabam, nec adhuc scio: an adhuc extet, & an pro illa causa magis minusve fortiter, ac censor, steterit, atque adeo responsione aliquâ dignus sit, indicabunt & judicabunt, si tanti sit, Theologi Angli. Hoc tamen minus male & insolenter ab illo factum, quod vernaculo tantum scemate libellum suum vestire contentus, inter populares suos sub umbra hierarchiæ delitescere ac consenescere maluit, quam universo Christianorum orbi literato latine perorantem ostentare. Nec minus tunc mirabar, quid viro Theologo evenisset, quod tam contumeliosè in me inveheretur: cum interim causam ipsam sine illo judicio, sine rationum pondere, solis ferè πάθεσι & cascis ac parergis amplificatiunculis ageret. Statueram itaque, ubi theses meæ juxta cum aliis interpolandæ & augendæ essent, dissimulato autoris nomine, nervos, si qui esse viderentur, censurarum breviter incidere; neque enim è re & honore religionis reformatæ futurum arbitrabar, si meâ refutatione omnes illæ Gattakeri ineptæ*

eptæ & indignæ censuræ atque insultationes toti orbi denuo propinarentur. Unica enim hæc ipsis post vulneratam causam & famam felicitas reliqua, quod ultra mare vix ulla exemplaria ex Anglia migrassent: quodque autor, qui festinus in illo concitationis & forte alienæ incitationis fervore hæc protruserat, facti sui pœnitentiâ (quod non ab uno mihi indicatum) ductus fuerit, saltem de ulterius spargendo, aut denuo edendo libello non laboraverit: domestico forte exemplo monitus, aleatorium & chartaceum hunc ignem sine damno in sinu gestari, in familia foveri non posse. Sed felicitatem quasi honorificæ istius in tenebris sepulturæ atque oblivionis miseris his chartis inviderunt, quicunque fuerint sive aleatores sive alearum patroni, qui eas Lugduni Batavorum recudendas curarunt: quâ cum juventutis Academicæ ædificatione, quâ cum pietatis promotione, quo cum religionis reformatæ, quam Gatakerus professus est, honore, judicent prudentiores. Certe mecum non tantum iniquè agitur, quod theses meas currente prælo anno 1636. scriptas, non licuerit secundis & accuratioribus curis interpolatas denuo edere, antequam cum publica aggressoris alicujus impugnatione ab aliis iteratò editæ essent: sed insuper editores illi haud obscure inequitare deprehenduntur Academiæ istius luminibus

Danæo,

Danæo, Fr. Junio, Riveto, Polyandro, Walæo, Thysio, quorum orthodoxia circa lusum aleæ, æque superstitionis per Gattakeri libellum condemnatur, ac mea: cum illorum in hanc eandem sententiam consensus in propatulo sit, & infra anacr. 9. à nobis præbetur. Sed talia nunc sunt tempora, ut libri ad destructionem plus valentes quam ad ædificationem, imprimis satyricè scripti, avidè excudantur, recudantur, in sinu multorum gerantur, dum lectio piorum & præstantium reformationis nostræ Doctorum unà cum studiis artium, linguarum, historiarum passim aut negligitur aut ferociter contemnitur, atque adventanti sacræ ignorantiæ & barbariei lætus introitus paratur. Ne extrà Theologos abeam, haud parum mutatam aut mutandam cœli nostri faciem hoc arguit, quod eristicus & futilis hic libellus totus felle delibutus, nullâ solidâ eruditione Theologicâ se commendans, periculosæ & scandalosæ aleæ defensionem, invitâ pietate, præscribens, forte ad manus alicujus ex Anglia delatus, hoc turbulento infelicium in Acad. Leidensi contentionum statu recuditur, atque omnium oculis, præsertim juventutis Deo & ecclesiæ peculiariter dicatæ subjicitur, validum malorum irritamentum: quasi duæ illæ pestes compotationes & aleæ non minus animis studiosorum insidiosæ essent, ac corporibus

ribus eorundem pituita & melancholia infestæ esse solent, juxta Marsil. Ficinum in lib. de sanitate tuenda *Quod contra Theologorum practicorum, qui ex Angliâ certatim huc advehuntur, quorum non pauci in linguam nostratem aut latinam tanto cum studiosorum & ministrorum fructu, transferuntur, operam suam inter complures alios etiam commodantibus celebribus in Belgio ecclesiastis Meusevoet, Lamotio, Schuttenio, Diemerbroeck, Technero, Stresone, &c. quod, inquam, talium editio, lectio, imitatio, privatim publiceque ita à nonnullis deprimitur ac traducitur; non aliter ac si Homerus ille practicorum omnifariæ Theologiæ, ac scientiarum callentissimus Perkinsus, eumque secuti Boltonus, Prestonus, J. Downam. L. Bailly, Whately. S. Ward. Daniel Dijck, Jeremias Dijck, Hildersham, Paulus Baynes, Biefield, plures Rogerii, Sibs, Eduardus Raynolds, similesque heröes ex cœno Anabaptistarum, aut fanaticorum Enthusiastarum, aut Antinomorum (qualibus Anglia nunc abundare dicitur) prorepsissent: quasi Theologia practica ex scripturis nulla haberi posset apud Anglos, quæ simul non esset anabaptistica, aut enthusiastica, aut alia aliqua sectaria: & quasi orthodoxi Theologi à sectariis in Anglia æque distingui non deberent, ac in Belgio nostro distingui scimus: quasi denique omnium Anglorum*

glorum conciones & libelli practici pari ardore & studio legendi ac relegendi commendarentur; ac non potius delectus adhibendus suadeatur: quod in Angliam non minus ac in Belgium aut Germaniam &c. quadret illud Poëta,

Scribimus indocti doctique poëmata passim.

Ne autem alicui oculi doleant, quod laus Theologia practica ab Anglis supra aliarum nationum Theologos, imprimis jam inde à tempore Perkinsi exculta, pessim apud Gallos, Germanos Ungaros Belgas ipsis tribuatur: ablego Lectorem, quem ista tangant, ad libellum Johannis Durei *superiori anno editum, in quo consilia apud Anglos agitata de corpore Theologia practica, ad instantiam Theologorum Germanorum, formando, aperiuntur. Sed è diverticulo in viam. Per libelli ergo istius iteratam & scandalosam editionem cum coactus essem mutare consilium, putavi ex honore veritatis, & ad majorem confusionem aleatorum fore, si censorem κατὰ πόδας sequerer: textum ipsius juxta editionem Londinensem Anno* 1638. *in 4. de verbo ad verbum insererem, omniaque ipsius dicta veritati opposita, ut ut ineptissima, sigillatim protererem; ne saltem in eo sibi applaudant aleatorum & chartarum patres conscripti, quod censor si rem extra dubitationem non posuerit magnis tamen ausis exciderit, aut si erraverit, erudito errore erraverit. Quid & quantum prastiterim, pio & candido Lectori censendum relinquo: commendatâ simul lectione defensionis Amesiana, autore viro erudito* Leonardo à Rijssen Ecclesiaste Heusdano, *qua Typographum aliquamdiu exspectavit, nunc nacta propediem prodibit; ex qua amplius constabit contentionem demonstrationum rotore, zelum judicii ἀκριβείᾳ in censore nostro destitutum fuisse.*



ANTITHESEOS

Pars Altera

D. GISBERTI VOETII

Thesibus reposita.

Gisb. Voetii.

1. VOcum *explicatione omissâ, de quâ plurima Math. Martinius in Lexico, sortis definitio investiganda, quæ non malè sumitur ex verbis Augustini in* Pſ. 30. *concione* 2. Sors, *inquit*, non eſt aliquid mali, ſed res eſt in dubitatione humanâ divinam indicans voluntatem. *Et paulo post appellat*, judicium divinum; *&*, in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei. *Apud Summistas Pontificios vix expertam definitionem invenias, Thomas & Scholastici ad* 22.*q*.95. *a*.8. *quamvis meminerint definitionis Augustini, aliter tamen ipsi definiunt. Sic enim ex & cum Thomâ Malderus ad* 22. *tract*.10 *c*.7. *dub*.9. Sor-

tes dicuntur, cum aliquid fit, ut ex ejus eventu res occulta vel dubia cognoscatur vel discernatur. *Sed nimis laxa hæc definitio, consultò ita concepta, ut laxam suam doctrinam de Sortibus (quam videre est apud Cajetanum ad locum Thomæ citatum, & Toletum, aliosque) sub hac comprehendant. Nostri melius definiunt cum Aretio problem. tom.* 1. *p.* 813. Est modus consulendi Deum rarior quidem, attamen in his eventis, ubi nec ratio, nec consilium hominum commodè adhiberi potest. Et *Borrhao comm. in numer.* 26. Sors sacra est periclitatio alicujus eventus sub Dei ductu, qui fit & Deo gloriosus & Ecclesiæ salutaris. *Perspicua & plena est descriptio Amesii medul. lib.* 2. c. 12. *ubi eam vide. Definitioni Augustini atque adeò nostræ inhæret Masius comm. in* Josuæ 7, *Porrò definitio nostra colligitur ex* Prov. 16, 33 *cum* 18. 18. *Ita ut in ratione suâ formali Sors omnis includat respectum ad Deum & dependentiam ab ipsius speciali atque immediata providentia, per quam solam eventus seu casus sortis determinatur, quamvis homines mittentes sortem de eo sæpe non cogitent, nec petitionem divini judicii intendant; ut ex nostris ostendit Martyr in locis com. class.* 1. *c.* 5. *& solidè Amesius loc. cit.*

ANTI-

ANTITHESIS.

Ἀρχὴν πάντων τὸν ὁρισμὸν, meritò pronunciavit Philosophus, *Analyt. Poster. l. 2. c. 14.* Rectè ergò Theseon istarum Autor, quod à definitione auspicatus est. Cæterum definitionem rei cujuspiam investiganti, de Genere & Forma ejusdem sedulò fuerit inquirendum, ἔστι γὰρ ταῦτα στοιχεῖα τῶν πρὸς τοὺς ὅρους. *Topic. l. 4. c. 1.* & Genus quidem primo loco designandum; tum Forma sive Differentia specifica adjicienda. Ita Philosophus: δεῖ τὸ πρῶτον ἀποδιδόναι γένος, ἔπειτα οὕτως ἤδη προσάπτειν τὰ λοιπὰ, καὶ χωρίζειν· *Topic. l. 5. c. 6.* Perperam ergò, quod non ista diligentius excusserit, distinctius explicaverit; sed reprehensionem ejusdem merito suo in se attraxerit, quâ conqueritur is loco superius adnotato, ὅτι περὶ αὐτῶν τούτων ὀλιγάκις αἱ σκέψεις γίνονται, τοῖς διαλεγομένοις. Varias quidem Sortis definitiones proposuit. nec hoc malè. Siquidem consulit Philosophus *Topic. l. 6. c. 7.* ut in legibus ferendis suffragia & judicia, ita in rei cujusque naturâ indagandâ definitiones varias conquirere. Perperam tamen, quod potioribus rejectis, pejoribus adhærere præoptaverit. contra quàm cum Philosophus ibidem monuit, tum & faciendum ratio ipsa dictat.

Ex eis, quas *propofuit, prima Auguftini effe dicitur.* Cæterum *neque eo loci fortis definitionem dare Auguftinus in animo habuit* : nec ea *verò jufta & legitima eft ejufdem definitio* : quum nec res omnis quæ in dubitatione humanâ divinam indicat voluntatem, Sors fit; nec Sors omnis ufum obtineat ejufmodi ut divinam indicet voluntatem. Quâ de re differuimus in *Tractatu de Natura & Ufu Sortium cap.* 3. §. 6. Malæ *tractationis ergò adverfus Autorem hunc actio* Auguftino *competit, qui definitionem, quam ille nullam dedit, tam mancam, tam ineptam Auguftino affinxit.* Huic tamen & inhæret ipfe, & *Mafium affirmat inhærere.* Et citat hic reverâ dictum illud Auguftini, probatque de Sortibus quibufdam enunciatum: quod illi nemo negaturus eft.

Secunda eft Malderi, & eft exerta definitio, (quod de Auguftinianâ, quam ille dicit, dici non poteft) licet laxa nimis reverâ; quum multa ocurrant, quæ ad res occultas dubiafve vel cognofcendas vel difcernendas fiant, nec fortis tamen rationem habeant. De quo videri poterit *Tract. de Sortib. c.* 1. § 2. & 4. Verum de laxitate doctrinæ, quæ Sortium ufum fpectat, alibi dicendi locus futurus eft. Interim affequi

non

non possum, quid Autor hic velit, quum *Sortis definitionem exertam* negat *apud Pontificios Summistas inveniri.* Quid est enim, quæso, ista *exerta definitio*? An non enim exerta ea est definitio, quæ exeritur, quæque definitionis nomine ex professo proponitur? aut quâ ratione non exerta fuerit Thomæ (quare enim non Thomæ potius quam Maldero, tribuatur, si ex Thomâ Malderus?) definitio illa? Verum ænigmatis hujus explicationem Autor alias nobis forsan daturus est. Interim exactiorem definitionem offendere poterat, quam est earum quas ipse probat ulla, quamque Balmfordus, quem in Controversiâ capitali, quam appellat, σύμψηφον κὴ σύμμαχον habet, in dialogo de Sortibus lusoriis suffragio suo confirmavit, apud Pontificium scriptorem Nicol. Lyranum in *Num. c.* 34 & in *Prov. c.* 16. eam ibi, qui volet, petat licet, vel etjam ex *Tract. de Sortib. c.* 1. §. 3. *p.* 5. & *c.* 7. §. 7. *p.* 193.

Tertia, quam probat magis, est Aretii: apud quem tamen aliam invenire poterat, in quâ meliore consilio, *effectus fortuitus*, quam in istâ, *modus Deum consulendi*, generis loco constituitur. Quot enim Sortes jaciuntur, in quibus nec Deus consulitur, nec verò consulto quicquam opus est? de

utraque vide *Tract. de Sortib. c.* 1. §. 3. & *c.* 6. §. 3.

Quarta est Borrhai, quæ nihilominus probatur, quum sit ad Sortem in genere definiendam omnium ineptissima; utpote quæ à Sortis ratione eas omnes summoveat sortitiones, quæ vel *sub Dei ductu* non instituuntur, vel *Dei gloriam & Ecclesiæ salutem* non *respiciunt*. Verum ista non est Borrhai, sed Voetii culpa, qui Sortis sacræ definitionem ab illo datam ad Sortes omnes promiscuè finiendas adhibuit.

Quinta, quam ut perspicuam & plenam, maximè probat, sed *cum probet quam maximè, ne recitatione quidem dignatus est, est Amesii*; quam nos in Antitheseos parte priore excussimus; & aliam planè ab eodem olim positam indicavimus.

Porrò, *Definitio*, inquit, *nostra*, &c. cum tamen, quamnam ex prædictis *nostram* illam esse velit, nondum indicasset: nam de Aretianâ supra dixerat, *Nostri melius definiunt cum Aretio*, &c. Verum, uti ex sequentibus conjicere licet, Amesianam potius voluit; quod dicit *formalem Sortis rationem includere respectum ad Deum* (quæ Amesii peculiaris est formula) *& dependentiam ab ipsius speciali atque immediata providentia*

videntia: licet Amesius *respectum immediatum*, non *providentiam immediatam* dixerit, Thesi 2. (*adeò infælix est in suis citandis Autor iste*) à quo discedit, (sicut & ipse à se prior discesserat) quod *per Dei providentiam specialem atque immediatam solam eventum sive casum Sortis determinari affirmat.* Quod Amesius nec in suis de Sorte Thesibus usquam dicit, & cum olim dixisset, post revocavit, & tueri ulterius recusavit: quod & alibi ostendimus.

* Cæterum quod definitionem illam, quæcunque tandem ea sit, quam *nostræ* nomine insignivit, nec disertis verbis posuit tamen, ex *Prov.* 16. 33. cum 18. 18. colligi ait; ludibrio planè Lectorem suum habet, dum ex eis locis secum invicem collatis sortis definitionem eam expiscatum amittit, quam nec ipse profert, nec qui ex locis eis eliciatur ostendit.

Quod subjungit, *in ratione sua formali Sortem omnem includere respectum ad Deum; & dependentiam ab ipsius speciali atque immediata providentia, per quam solam eventus seu casus sortis determinatur*: hujus dicti firmamentum aliquod adjectum oportuit: præsertim cum in hoc controversiæ totius cardinem autor ipse constituerit, quod ab ipso prorsus est insuper habitum.

 bitum.

bitum. Siquidem nec Martyr, quem teftem advocat, hoc oftendit, nec Amefius, quem autorem laudat, folidè probavit; imò tantum abeft ab eo quod folidè probaverit, ut ne affirmaverit quidem, quod iftic afferitur. Quin & *Autoris hujus ipfius erat, fua probare; non autem ad aliena fcripta probationes rufpatum lectores fuos amandare.*

Illud tantum adiicio; Si *in ratione fua formali fors omnis includat refpectum ad Deum & dependentiam ab ipfius fpeciali atque immediata providentia*, (quod iftic affirmatur) certum eft Sortes, quæ dicuntur, diviforias plerafque, cum ferias, tum ludicras, ne Sortes quidem futuras effe: ut fruftra planè difputatio inftituta fit, *Sortes ne per lufum ufurpatæ licitæ fint an illicitæ*, cum ludicræ illæ ad eventus fortuitos provocationes, prout communiter adhibentur, *nullam penitus in fe Sortis rationem contineant, & quæftionis fubjectum prorfus fuerit fublatum.* Vide *Tract. de Sortib. c.6. §. 3.*

ANACRISIS I.

§. *Perperam ergo quod non ifta* (genus fcilicet & differentiam in definiendâ forte) *diligentius excufferit, diftinctius explicârit.*) Non memini me intendiffe & promififfe

fcri-

fcriptionem libri aut justi tractatus: necesse itaque non fuit, ut genus & differentiam de novo investigarem, omniaque ad *quid nominis* & *quid rei* facientia, plenè, immo plenissimè explicarem: sufficiebat præcogniti loco definitionem ex Autoribus citatis pręsupponi, & discipulis nostris per oppositiones examinandam proponi.

§. *Perperam tamen, quod potioribus rejectis, pejoribus adhærere præoptaverit*,&c,) Potioribus reformatorum Theologorum suffragiis meliores definitiones proposui; quamvis singulari censoris judicio pejores. Omnes enim malas censet, quæ alearum, taxillorum, & chartarum ludis non patrocinantur. Hic dicere liceat, cum Poëtâ: σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

§. Ex *eis quas proposuit, prima Augustini esse dicitur. Cæterum neque eo loci &c. Malæ tractationis ergo adversus autorem hunc actio Augustino competit, qui definitionem, quam ille nullam dedit, tam mancam, tam ineptam Augustino affinxit. &c.*) Nolo retaliare de actione malæ tractationis adversus censorem meum, quod mihi affingat aliquid: tantum peto, ut lector oculis suis inspiciat verba mea *quæ* (scilicet definitio) *non male sumitur ex verbis Augustini*, Quamvis alii mox indicandi vocent defini-

tionem, Ego tantum dixi non malè *desumi* definitionem ex verbis Augustini: non dico Augustinum exsertè aut in formâ, aut logicè aut scientificè, aut acroamaticè, loco cit. definitionem proposuisse, aut intendisse proponere. Theologi nonnulli dicunt, definitionem peccati ex 1 Joh. 3. v.4. sumi aut posse sumi: quis hinc tam fervidâ & nimis quæsitâ criticâ Theologis actionem malæ tractationis, quâ Johanni quid affingeretur, intentaret? Quod addit hanc definitionem Augustini non esse *justam & legitimam*, id ex suo sensu ita dicit, & est in quæstione. Aliter sentiunt, ex nostris *Rivetus in commentar. ad ps.* 22. *v.* 19. & in *Decalogi præc.* 3. *Tossanus in commentar. ad Act.* 1. qui juxta hoc dictum Augustini determinant contra sortes ludricas. *Ab omnibus* (inquit Rivetus in Psal. 22.) *laudatur dictum Augustini.* Ex nostris & Pontificiis non tantum complures exceptioni suę de Sorte aliquo in casu licita hæc verba Augustini tanquam optimè dicta applicant, sed & nonnulli exsertè vocant definitionem: Comm. à Lapide in Actor. 1. *Præclarè S. Augustinus in ps.* 30. *&c. Sors res est in dubitatione humanâ indicans voluntatem divinam, &c.* In *jure canonico cap. Sors* 26. *qu.* 2. ubi dictum Augustini

gustini refertur, præmittitur hæc rubrica: *Quid sit sors*,

Henr. Salmuth disserens de sorte ad Pancirolli deperdita tit, 44. pag. 175. *Etsi*, inquit, *Finiente Augustino sors (in suâ naturâ & per se considerata) aliquid mali non est; sed in humana dubietate divinam indicans voluntatem.*

Willetus comment. in Levitic. 16. *quæst.* 12. *exertè appellat* definitionem Augustini, eamque se approbare dicit.

Josephus Medus Anglus in *Trigâ dissertat. ecclesiastic. pag.* 82, postallatam suam definitionem *aliquanto prolixiorem* (sic ipse loquitur) subjicit hæc verba: *Augustinus brevius, sed ad meum sensum.* Sors est, *inquit, res in dubitatione* &c. Probat & *Zanchius tr. de divinatione, pag.* 89. 92.

Joh. Altenstaig in lexico theologico: *Augustinus in psal. quid sit sors, his verbis ostendit*: sors res est in dubitatione humanâ &c. *Nam & sortes miserunt apostoli, electi sunt duo judicio humano, & electus de duobus judicio divino.* Probant eadem verba Augustini tanquam naturam sortis explicantia *Verlenius in comment. ad ps.* 31. (30.)

Eandem descriptionem *Zanchius* determinationi suæ de sorte substernit *tract. de divinatione pag.* 89. 92. edit. in 8,

Jac. de Graffiis *lib* 2. *decis. casuum consc. cap.* 4. §. 6. 7. *Huc spectat*, inquit, *Augustini definitio sortis, dum inquit Ps.* 30. *conc.* 2. sors est res in humanâ &c.

Masius *in Josuæ* 14. Dicit, sortem non esse *fortunæ temeritatisque ludum, si justa cum religione fiat, sed certissimum divini consilii judicium.* Et in cap. 7. *sortem, si religiose tractetur, numine divino regi, atque pro Dei arbitrio cadere; & esse, quod ait Salomon, Dei judicium* &c. *Recte ergo Augustinus dixit, sortem esse rem quæ in dubitatione humanâ* &c. Quo haut obscurè innuit essentiam & rationem sortis ab Augustino rectè explicatam, quod quid aliud est, quam esse eam rectè definitam.

§. *De laxitate doctrinæ, quæ sortium usum spectat, alibi dicendi locus est.* Non immeritò laxam Pontificiorum doctrinam hâc in parte notavi: nec decorum est, eam à reformato theologo defendi. Quamvis enim (ut infra ostendemus) antiqua concilia, Jus civile & canonicum, ludos illos prohibeant, & varii scriptores eorum vi veritatis adacti incommoda exaggerent, nonnulli haut obscurè eos damnent, non desinunt tamen laxi Casuistæ more suo audacibus exceptionibus, consuetudini & moribus hominum velificari. Vide imprimis *Angelum*

lum de Clavasio in summa', Hadrianum Florentium nostratem, postea Papam *in quæst. ad lib. 4. sententiarum, tit. de Restitutione; Cajetanum in summulâ, Serrarium in Josuæ 7. qu. 21, Zwarez lib. 2. de religione cap. 12. §. 2.* Adde *lib. 1. cap. 32. §. 5.* ubi de lucro ex ludis, in quibus fortuna seu contingentia eventus intervenit, fatetur, *quod jura de hoc in specie non loquantur, quia communiter turpe reputatur.*

§. *Interim assequi non possum quid autor hic velit, quum* sortis exertam definitionem negat apud Pontificios Summistas inveniri &c. *Verum ænigmatis huius explicationem*) Video ab illis quæstionem proponi, an sortes & sortilegia sint licita, & post distinctionem allatam aliquas conclusiones subjici, sed ut plurimum absque præmissâ definitione exsertâ, hoc est, scholasticè & in formâ propositâ: Hinc fit ut admodum manca & varians sit eorum determinatio, & multa dicendo nihil dicant. Summas ita dictas Angelicam, Sylvestrinam, Fumi, Cajetani, Toleti, & recentiores scriptores Casuistas seu confessionales Navarrum, Sa, Azorium, Binsfelsium, Reginaldum, Candidum, Funes, Filijucium, Basleum, Bonacinam, Josephum Augustinum (qui materiam hanc tangunt, & mihi nunc ad manum) sunt de

novo cum inspicio, aut nullam invenio definitionem formaliter propositam, aut generalem saltem illam & nimis laxam descriptionem Thomæ, quam ex Autoribus citatis *unus Angelus de Clavasio* repetit. Quod censor instat Malderum & Thomam exserte definivisse, id παροράματι ipsius, non meo ænigmati adscribendum. Loquebar ego de Pontificiis *summistis, non de scholasticis*. Summistæ usu illic recepto dicuntur, non qui commentaria aut quæstiones ad summam theologicam Thomæ scripserunt, sed qui summas casuum conscientiæ & materiarum judicialium complexi sunt; quos hodiè vocant casuistas, quorumq; professio & cathedra in Academiis ac collegiis distincta est à professione theologiæ scholasticæ ad textum Lombardi aut Thomæ. Quos à theologiæ professoribus in tantum distinguit *Thomas Garzoni* in celebri libro tit. *la Piazza universale cap, seu discursu* 19. ut eos accenseat Canonistis.

Sed media potius sententia tenenda, quæ eos faciat medios (participatione scil.) inter scholasticos & Canonistas. *Summæ titulo Casuistæ* Papales ante hàc uti solebant & inde denominati *summistæ*. Quales summæ à Pontificiis scriptoribus passim, & collectim à *Gersoni loc. cit.* (ubi scriptores titulo

tulo *summistarum* insignit) & à *Possevino lib.* 3. *Bibliothecæ cap*, 22. indicatæ sunt, Rosella, Pansica, Raimondina, Bisanella, Tabiena, Sylvestrina, Angelica, Hostiensis, Rolandina, l'Astensis, Antonina, Bernardini, Petri Casuelli, Raynerii, Cajetani, Jac. Cavicei, Barthol. Fumi, Alberti de Brixia, Antonii de Corduba, Augustini de Ancona, Joh Baptistæ de Salis, Claudii Altisiodoriensis, Henrici de Erfordiá, Monaldi, Conradi Summerhart, Gaufredi de Trano, Hugonis Barchinonensis, Joh. episcopi Valotiensis, Joh. de Friburgo, Scarsellæ. Joh. de Saxoniâ, Sebastiani Medices. Quibus adde ex *Alegambe bibliothecâ* summam Henrici Henriquez. Ejusdem ordinis sunt libri Casuistici qui à recentioribus certatim sed aliis titulis *directorii, confessionalis, praxis fori pænitentialis, instructionis sacerdotum, theologiæ pastoralis, clavis regiæ, theologiæ practicæ, theologiæ moralis* &c. editi conspiciuntur. *Scholastici*, propriè & distinctè vocantur, qui commentaria & quæstiones scripserunt ad sententias Lombardi, & summam Thomæ. Inter eos ex recentioribus est Malderus, qui ex professore theologiæ Scholasticæ Lovaniensi, factus fuit episcopus Antwerpianus. Eum ego citaveram, non ut *summistam* (talis enim stylo scholæ Roma-

na

næ dici non solet) sed ut recentiorem. *Scholasticum* & commentatorem in aliquam partem Thomæ, post Cajetanum, Bannes, Medinam, Valentia, Tannerum, Vasquez, &c. Jam vident lectores me nihil non contradicere, nec ænigmata projicere, sed ipsum censorem per rerum istarum & terminorum ignorantiam, sibi in evolvendo ænigmate (quod nullum erat) molestiam creasse. Quod si quis mihi non credat, is adeat *Possevinum lib.* 3. *bibliothecæ cap.* 4. & *seqq.* cum *cap.* 16. & *seqq.* ubi inter scholasticam theologiam & scholasticos ad Lombardum, Thomam, Scotum, Bonaventuram commentantes, & inter practicam seu casuisticam, & summas casuum, ac Casuistas, exserte distinguit, & suas cuique operas assignat. Idem fit in *indice materiarum* subjecto *bibliothecæ Philippi Alegambe*, ubi scriptores scholastici à Casuistis distinguuntur.

§. *Quare non Thomæ potius, quam Maldero tribuatur*), Utrique potest tribui, aut alterutri, pro arbitrio scribentis, & prout hoc ipsi in mentem venit, Quid hoc causam aleæ juvare potuit? Sed censor materiam libello, & stylo suo quæsivisse videtur.

§. *Interim exactiorem definitionem ostendere poterat, quam est earum &c.*) Non

eras

erat mihi tunc animus, nec ullâ lege tenebar omnes omnium Pontificiorum definitiones sexcentis in libris venari. Sufficiebat mihi recentissimi scholastici in autoritate tunc constituti, & in Belgio nostro satis celebris Malderi sive definitionem sive descriptionem ex Thomâ præsenti quæstioni applicatam notare. Quod ad Lyrani definitionem, quam indicat, ea in postillâ ad *Numer.* 24. & *Proverb.* 16. *vers.* 33. sic se habet; *Uti sortibus est ex vario eventu seu dispositione alicujus rei sensibilis propositæ determinare aliquod dubium vel incertum.* Sed non video eam in essentialis seu formalis rationis explicatione secundum mentem Thomæ ab ejus definitione differre, aut plus dicere. Neque enim additur à quo sit & exspectetur determinatio incerti seu dubii quod habet Augustinus, cujus dictum à Thomâ 22. qu. 99. art. 8. initio citatum, postea in corpore determinationis. *ad.* 1. & 2. probatur his verbis. *Quandoque vero exspectatur à Deo secundum illud Proverb* 16. *sortes mittuntur in sinum, sed à domino temperantur, & talis sors secundum se non est malum, ut August. dicit.* Adde quod Lyram toto discursu, quem utroque loco subjicit, Thomam per omnia secutus fuerit, excepto quod exspectationem eventus à fortunâ ab omni

omni vitio absolvit, ubi Thomas fluctuans ait: *non videtur habere nisi fortè vitium vanitatis.*

§. *Tertia &c. est Aretii: apud quem tamen meliorem invenire poterat*) Definitionem hanc mihi probatam; & sententiæ communi reformatorum de usu & abusu sortium apprimè convenientem, ex loco de sortibus, ubi ex professo hanc rem tractat, & definitionem per partes explicat, fideliter deprompsi. Eam si censor aliique aleæ patroni improbent, & aliam quam, atque in eâ palmarium pro aleâ, apud eundem Aretium reperisse se putent, nihil tamen promovent: nisi ostendat, definitionem talem alicubi in terminis propositam, & priorem posteriori, tanquam δευτέραις φροντίσι σοφωτέραις, ab Aretio sive tacitè sive exsertè correctam, atque adeo locum postremum part. 1. problem. (ubi sedes hujus materiç) inductum. Quod cum factum non sit, ad λόγυς, implendis chartis projectos censuram hanc relegamus.

§. *Quarta est Borrhai, quæ nihilominus probatur, quum sit ad sortem in genere definiendam* &c. *Verum ista non est*, &c) Resp. Non tam ineptè uti crisis proclamat, Borrhai definitio sortis sacræ à me relata fuit: quam nec probavi, nec improbavi, sed hactenus

ctenus τὸ generale in illâ definitione (*sub Dei ductu*), quamvis speciali materiæ (sacræ scil.) à Borrhao loc. cit. applicatum, huc facere arbitrabar, secundum meam & aliorum aleæ adversantium infra cit. sententiam. Omnes enim sortitiones sub Dei ductu fieri debere, non sub ductu idoli, aut diaboli, aut fortunæ, aut naturæ, aut nihili, apud nos præsupponitur, & consequenter definitione sortis exponitur. Si sine respectu ductus divini sortes jaciuntur, hoc profanitati aut vanitati sortientium cum orthodoxis theologis infra cit. adscribimus.

§. *Quinta, quam ut perspicuam & plenam* &c. *ne recitatione quidem dignatus est*, &c. *quam nos in antithesios parte priore*, &c.) Resp. 1. Captantur crises, sed otiosè atque ineptè. Ergone in assertionibus scholasticæ studiosorum disceptationi propositis, ubi δακτυλοδεικτας frequenter agimus, omnia autorum citatorum præcepta, commentationes, dissertationes &c, de verbo ad verbum describenda erunt? Poterat eàdem æquitate & criticâ notasse & hanc & alias meas theses quod in citatione dictorum S. Scripturæ *ne recitatione quidem ea dignatus sim* quod plerumque studiosorum propriæ lectioni in bibliis suis (ubi verba à corpore contextus avulsa non sunt) hoc relinquam,

quere,immo & illis atque omnibus catechumenis noſtris aſſiduo hoc commendare ſoleo atque unà chartæ & ſcriptionis compendium facere. Sed dices me aliorum autorum ut Auguſtini,Malderi,Aretii,Borrhai definitiones verbotenus exhibere; de Ameſio vero dicere : *ubi eam vide.* Rectè , quia ſciebam ſtudioſis noſtris librum Ameſii ad manum eſſe,eumque aſſiduò volvi,& privata examinantium ac diſputantium collegia ſuper illo à profeſſoribus hic inſtitui. *Reſp.* 1. Quam ſolide & dextrè hæc definitio Ameſii, in priori diſceptationis parte excuſſa ſit, oſtendetur à viro erudito , qui Ameſii defenſionem contra aleæ patronos ſuſcepit.

§, *Porro definitio* &c. *cum tamen quamnam ex dictis*, &c) Quid eſt tempus & chartam tereti ſmatis perdere,ſi hoc non eſt. Aretii,Ameſii aliorumque infra cit. definitiones , περιεργία & curioſa criticâ inſuper habitis, noſtræ omniumque ſortibus ludicris adverſantium infra cit. ſententiæ ſatis congruere arbitror : *quamvis Ameſianam potius volui* ; uti ipſa criſis, mox ſibi reſpondens fatetur.Sed valeant caſcæ & nugatoriæ iſtæ criſes. Quod autem notat Ameſium à ſe diſſentire, & me ab Ameſio,id ex immoderatâ contentione & nimio pro aleâ zelo , indeque ortâ viſione refractâ, potius profe-

ctum

ctum videtur, quam ex judicio. De Amesio videbit ipsius hyperaspistes, Pro me contra censoris insultationem (*adeo* inquit, *infelix est in suis citandis auctor iste*) sic respondeo 1. me non citasse formalia verba cujusquam autoris, nec etiam Amesii ex *lib.* 2. *Medullæ cap.* x 1 § 2. (quod censor ex propriá imaginatione affirmat); sed me colligere ex citatis Augustino, Aretio, Borrhao, Masio, ultimâ analysi factâ in textus *Proverb.* 16. & 18. & meis verbis collectionem ac sententiam meam proponere de formali ratione sortis, in quo consistat, hoc modo: *Porro definitio nostra colligitur ex Prov.* 16. 33. *cum* 18. 18. *Ita ut in ratione suâ formali sors omnis includat respectum &c.* Ubi nunc citatio Amesii, ubi tanta infelicitas in citandis? Provoco ad αὐτοψίαν lectoris, ut judicet egone an censor infelicitatem in citandis passus sit.

Resp. 2. Quamvis crimen non esset aliter & aliis verbis, ac Amesius, sensa animi exprimere, & rem propositam exponere: nego tamen me ab Amesio discedere, cum Amesiano epitheto providentiæ divinæ tributo, *specialis* scil. (in *Casibus lib.* 4. *cap.* 23. pro quo *Medulla* §. 7. *singularis*) epithetum *immediatam substituo.* Si §. 2. à censore citato Amesius meminit *immediati respe-*

ctus

ctus ad singularem seu specialem providentiam, ergone negat respectum ad *immediatam providentiam*, meo sensu acceptam? Quæ illa consequentia? Ut lector videat censorem nimio affectu & festinatione à recto obtutu in Amesii medullâ abactum, legat ipse ibid. § 9 ubi theologos nostros asserentes *extraordinariam quandam providentiam Dei sortibus omnibus præesse*, sic exponit: *quod sors ipsa, ex naturâ suâ, respectum quendam habet ad singularem & extraordinariam Dei providentiam in directione eventus merè contingentis: & isto hoc sensu verissima est eorum sententia.* Quid autem intelligant theologi & Amesius per *extraordinariam*; & ego per *immediatam* (quæ mihi synonyma),infra anacr. 3,& 5. explicabitur,

§ *Cæterum quod definitionem illam* &c. *nec disertis verbis posuit tamen ex Proverb.* 16.33. *cum* 18.18 *colligi ait, ludibrio suo planè lectorem habet &c.*) Resp. 1. disertis verbis posuit eam Amesius loco à me indicato; & disertis verbis ego studiosos nostros eò ablegabam, cum scriberem: *ubi eam vide.* Potuerunt illi disertis verbis propositam illic legere; censor noster aut alius quis aleæ patronus, si non potuit, aut non voluit legere, quia ludo aleæ & diametro opponi-

ponitur, nos præstare non possumus, *Resp.* 2. Ludibrio à me haberi lectorem non dicent, qui de moribus Academiarum nostrarum & thesibus illic proponi solitis vel fando audiverint. Quoties enim nudæ assertiones scribuntur, aliquando indicatis per cifras scripturæ locis, quibus innituntur, aliquando non indicatis. Aliud enim est assertiones proponere, aliud elencticas ἀνασκευὰς & καλασκευὰς. Nec etiam semper in materiis maximè controversis operosæ deductiones (quod in editis libris fieri potest) scribuntur, sed non rarò digiti solummodo ad fontes scripturæ intenduntur. Videantur *Gomari dispp. de scripturâ, de Trinitate, de Deitate filii & Spiritus Sancti, de baptismo &c.* Ad hæc theses ubi textus tantum indicantur, aut etiam nudæ assertiones sine ullo textuum indicio proponuntur: quales non paucæ Sohnii, Bezæ & Faji, Tossani, Calamini, Francisci Junii, Zanchii, Henrici Antonidæ, Parei, Piscatoris, Ravenspergeri, Theod. Zwingeri hebomadales, Constantini L'Empereur Harderovicenæ, Diestji theologia Biblica, ejusdemque compendium theologiæ; denique dispp. Leydenses jam inde ab anno 1600 toties repetitæ. &c. Ne quid dicam de variis compendiis seu ideis theologiæ, Fenneri, Perkinsi, Math. Martinii, &c.

&c. insuper de Altingii theologiâ didacticâ, Amesii medullâ &c, Sed forte quis instet, me de re controversâ, de usu & abusu sortium agere: cui repono, me tractatum, aut apologiam non dedisse; & si dedissem, in præcognitis ad demonstrationem non demonstrassem. Ibi enim ex more methodi, quam servare soleo, & ipse censor servari vult, τὸ τί ἐστι i.e. quid nominis & quid rei explicatur, & definitio præmittitur; ne disputatio sit de non ente. Contentus ergo fui cum Amesio cap.cit. §. 1. loca illa scripturæ definitioni subjicere & sententiam meam Amesianæ congruentem proponere, quæstionis controversæ determinatione eique subjectâ probatione ad thesin 3. rejectâ: contra quam omnesque alias assertiones, quidquid ab antagonistis objiceretur, coram in ipso actu Disputationis aut dilutum fuit, aut diluendum fuisset. Mera ergo est ἀκρισία, si quis omnibus, assertiones in scholis ad disputandum proponentibus nescio quâ lege Persarum & Medorum imponat ut in præcognitis non tantum definitionem præmittant ac præsupponant, sed & *omnia diligentius excutiant, distinctius explicent*, ex locis scripturæ per cifras annotatis *secum invicem collatis definitionem expiscentur, & qui ex eis eliciatur, ostendant.*

§. Quod

§. *Quod subjungit, in ratione suâ formali sortem* &c *hujus dicti firmamentum aliquod adjectum oportuit &c.*) Quæ leges methodi, qui mores Academiarum hanc conditionem figunt? An illic terminorum definitiones, quæ quæstioni controversæ præmittuntur, semper analyticè explicantur, & singulis explicationis partibus aut particulis demonstrationum ἐξεργασία subjungitur aut immiscetur? Videt lector quæsitas fuisse crises, ad chartas conscribillandas, & fluctus in sympulo excitandos.

§. *Nec Martyr, quem testem advocat, hoc ostendit, nec Amesius, quem autorem laudat, hoc solidè probavit; immo tantum abest &c.*) Resp. 1. Meri λόγοι, λῆροι. Si ita judicant alearum patroni, nos aliter judicamus: & propediem Amesii hyperaspistes hoc ostendet. Quidquid meæ sententiæ quousque cum Amesianâ convenit dieculari hâc velitatione, opponitur, infra σὺν θεῷ profligabo.

§. *Quin & autoris hujus ipsius erat sua probare, non autem ad aliena scripta* &c.) Et hoc nugatoriis crisibus adnumeretur. An necessariò definitioni & explicationi rationis formalis, tanquam necessario præcognito præmissæ, demonstrationum apparatus & fabrica infarcienda erat? An tam grande nefas demum thesi tertiâ post sta-

B tum

tum controversiæ propositum, probationes quibus melior sententia nostra innititur, non tam operosè diduxisse quam pro ratione instituti nostri & angustæ chartæ, indicasse, ad exceptiones opponentium excipiendas; & in actu disputationis diluendas? Quid si quis censorem vicissim notet, quod theses meas latinè scriptas latinâ crisi oppugnaturus in acribus quibusdam & quæsitis circa rem amplificationibus ἀεροβατεῖ, ubi vero ad ipsius rei cardinem ventum fuerit, ad eristicos suos tractatus Anglicè scriptos lectorem remittit; quos paucissimis, ferè aut ut forte nullis in Germaniâ, Galliâ, Belgio, Helvetiâ, Poloniâ. Hungariâ, lectos, & paucioribus intellectos, ignorare non debebat. Minus absurdè ego in thesi Academicâ ad disputandum propositâ studiosos nostrates ad Amesium ablegavi, quem sciebam quotidie in illorum manibus esse; quam ille in censurâ thesium mearum latinè concinnatâ lectores suos, quos in præfatione compellat, ad eristicos tractatus & particulares apologias Anglicè editas. Istius enim commatis scripta Anglica, non tam frequenter extra Angliam evolant aut in alias linguas transfunduntur, ac practica Perkinsi, Danielis & Jeremiæ Dyk, Boltoni, Prestoni, Baines, Rogers, Sibs, Whately, Biefield, &c.

§. Si

§. *Si in ratione suâ formali sors omnis includat respectum ad Deum, & dependentiam* &c. *certum est sortes, quæ dicuntur divisorias plerasque tum serias tum ludicras, ne sortes quidem futuras esse* &c.) Immo certum est divisorias seriò & in casu necessitatis (sive ob ipsam rei naturam sive ob hominum malitiam aut infirmitatem) legitimè institutas, esse verè sortes: ludicras vero esse propriè κλῆρους ἀκλήρους, *sortes insortes*, hoc est, sortis abusus; quæ sortes dicuntur, sicuti juramentum temerarium dicitur juramentum; & votum monasticum dicitur votum religiosum; & precatio Papistarum litaneutica, Rosariana, horario-canonica, dicitur precatio; & hierarchia Papalis, dicitur hierarchia, hoc est, regimen sacrum aut ecclesiasticum; & usura mordens, dicitur usura; & privatus quis potestatem tyrannicè usurpans, dicitur Magistratus. Si cui argutari libeat, de quæstionis subjecto hic sublato, per me licet: eo ipso sortes ludicræ à vanitate & abusu non liberantur, nec ludus aleæ etiam in foro politico prohibitus, triumphabit. Sed hæc dicis causâ, aut κατ' ἄνθρωπον hic adferri puto: cum ipse alioqui in totâ hac censurâ ostendat in aleâ aliisque sortibus ludicris esse rationem sortis. Aliter sentit Josephus Medus in

fine diatribæ de sanctitate relativâ pag. 79. ubi ex nostrâ definitione sortis confirmatâ, deducit in ludis illis non esse sortem, atque adeo saltem illa ex parte non esse illicitos: an cætera in se, aut aliam quam ob causam illiciti; ibidem, quod sciam, non determinat.

GISB. VOETII.

Consectar. 1. Malè Cicero lib. 2. de divinat. definit Sortem nihil aliud esse quam spectare temeritatem & casum, ubi nec ratio nec consilium valet.

II. *Malè Cajetanus in 22. q. 95. a 8. statuit,* non peccari absolute, si sortes expectemus à fortunâ. *Nec satis benè ibi contradicit Thomæ contra Gentiles lib. 3. c. 154. condemnanti* exspectationes eventus sortium à cœlo.

THOM. GATHAKERI.

At nihil hîc non sani, si dextrè sumatur; exceptâ clausulâ novissimâ, *de expectatione eventus sortium à cælo.*

Nec *definit Cicero Sortem*, sed verè asserit, *sortem*, (quod est verissimum, creaturam quod attinet) *non ratione & consilio, sed casu & temeritate ferri.* Vide *Tract. de Sortib. c. 1. §. 2.*

Cum Cajetano verò malâ fide agitur. cum is caute locutus adjecerit, (quod tacitum non

non oportuit) *sub divina tamen providentiâ* quae esse à se invicem distincta & distinguenda, ostendo in *Tract. cit. cap.* 2. §. 7.

Verum qualiacunque ista fuerint, illud prius confirmandum fuerat (quod non est factum) quo tanquam fundamento jacto ista rejiciuntur, quam de *eis censura tam fidenter ferenda, quae dogmati illi adversari videntur.*

ANACRISIS II.

§. *At nihil hic non sani &c. excepta clausula &c.* Resp. 1. aut sibi contradicit censura, aut lectorem ludit. Quomodo *nihil non sani, si dextrè sumatur*: ubi omnia carpuntur? *Resp.* 2. Clausula consectarii contra exspectationem sortium è cœlo censura notatur: sed in quo, & cur, seu τὸ ὅτι, & τὸ διότι non explicatur. *Thomas c.* „ *Gentes lib.* 3. *cap.* 154. sic scribit: Præ„ nuntiant autem quidam quandoque se„ cundum imaginationis immutationem, „ vel in dormiendo, sicut cum per somnia „ aliquorum futurorum indicia monstrant: „ sive etiam vigilando, sicut in arreptitiis „ & phreneticis patet &c. aliquando etiam „ per aliqua exteriora indicia, sicut per mo„ tus & garritus avium &c. & in punctorum „ quorundam descriptione, & in similibus,

,, *quæ forte quadam* fieri videntur : aliquando autem visibiliter apparendo, & sermone sensibili prænuntiando futura. Et licet horum ultimum manifestè per malignos spiritus fiat; tamen alia quidam reducere conantur in aliquas causas naturales. Dicunt enim quod cum corpus cœleste moveat ad aliquos effectus in istis inferioribus : ex ejusdem corporis impressione in aliquibus rebus illius effectus signa quædam apparent. Cœlestem enim impressionem diversæ res diversimodè recipiunt &c. Et ideò dicunt, quod motus, qui sunt præter deliberationem rationis, ut visa somniantium &c. & motus & garritus avium, & descriptiones punctorum, cum quis non deliberat quot puncta debeat scribere, sequuntur impressionem corporis cœlestis : Et ideò dicunt, quod hujusmodi possunt esse signa effectuum futurorum, qui ex motu cœlesti causantur. Sed quia hoc modicam habet rationem, magis æstimandum &c. Vide reliqua apud Thomam ; coll. cum 22. qu. 95. artic. 8. ubi meritò tales sortitiones, quæ præsupponunt actus humanos sortientis, & eventus sortis stellarum aut cœli dispositioni subdi, & ab iis sortiri effectum, ad divinationes superstitiosas & illicitas rejicit.

jicit. Ab hac sententia Thomæ Cajetanus loc. cit. discedit, adhibitâ distinctione ineptè seu
,, limitatione : Ego, inquit, intelligo hanc
,, damnationem , quando quis utitur no-
,, stris artibus tanquam absolute & simpli-
,, citer cœlo subjectis ; & non quando quis
,, utitur eisdem, vel ut non deliberatis, tan-
,, quam non humanis, vel ut aliqualiter
,, cœlo subjectis, quo ad inclinationem, ad
,, illa tamen quę cœlo subsunt. Quoniam
,, primo modo est ibi falsitas. Secundo au-
,, tem non est certa falsitas. Et propterea
,, non est damnanda, sed vitanda ac timen-
,, da. Et juxta hunc sensum intellige auto-
,, ris verba contr. Gentes lib. 3. cap. 154. cum
,, dicit, quod reducere ea in corpora cœle-
,, stia, *habet modicam rationem* &c. Accipe
,, hæc ut dicta pro tutiori parte, ad consu-
,, lendum quæ sanioris doctrinæ sunt, non
,, ad damnationem defendentium hæc fieri
,, quandoque à cœlo. Et hæc dixerim, ut
,, qui legunt, aut docent, non sint præci-
,, pites, sed caveant sibi & aliis. Non da-
,, mnent tamen eos, qui servatis superius
,, dictis, tantum sibi de cœlo promittunt.
Qui modo communem Christianorum Theologiam & Philosophiam in capp. de cœlo, astris, magiâ, superstitione, divinatione astrologicâ &c. à limine salutavit, facilè vi-

det, Cajetanum superstitioni (quod illi non insolens) non ita ac Thomas se opponere, & laxum Casuistam agere; atque hunc in finem ineptè effugium in actionibus non-humanis cœlo subjectis, & in subjectione aliquali quoad inclinationem quærere: hoc enim Thomas non ignorabat, nec hoc tantum intendebant illi, quos notat & refutat *Thomas loco cit. c. Gentes* & pluribus *in opusculis opusc.* 25. *c.* 5. ubi tale sortilegium refert ad geomantiam: & explicat, quomodo astra dicantur inclinare. Rectè *Fr. de Sylvestris Ferrariensis in commentar. ad loc. cit.* Attendendum, inquit, ultimo, quod S. Thomas non adducit rationem contra opinionem dicentium idcirco motus, qui preter deliberationem fiunt, futurorum eventuum signa esse, ex eo quod motum corporum cœlestium, eorumque impressionem sequuntur, quia hoc in superioribus est improbatum, ubi ostensum est ad quæ virtus cœlestis corporis se possit extendere, sed hoc tantum dicit modicam, id est, debilem & nullius valoris rationem habere, ostenditque esse falsum auctoritate sanctorum & Gentilium, & ex eo quod in sacra scriptura omnia ista cum idololatria reprobantur, quod non esset, si ex corporum cœlestium impres-

,, sione

„ sione futurorum eventuum signa esse possent. Si quid in Thoma, aut in me cum Thoma faciente contra Cajetanum carpendum sit, audiam ubi quis antithesin cum ratione aut rationibus consignaverit. Hactenus enim puto me pro & cum catholicæ veritatis sententiâ contra omnem indirectam superstitionem, & magiam determinasse. Conferat, cui vacat, *dispp. nostras de Magiâ, & de superstitione*, autoresque ibidem citatos. Et specialiter *Thomam lib. 3. contra Gentes cap. 105.* & *Delrio lib. 1. disquis. cap. 3 qu. 1.* ubi ostendunt miros & magicos effectus non posse oriri à cœlo. Et *Peucerum de divinat. tit. de sortibus*, ubi vanitatem geomantiæ ad cœlum referentis eventum, demonstrat.

§ *Nec definit Cicero sortem, sed verè asserit &c.) Resp. 1.* Nimis quæsita crisis. Cicero exoterico modo ac stylo locutus explicat, quid sit sors. Cur non liceat cùm *Aretio (part. 1. probl. loco 67.)* definitionem sortis inde sumere, & sic appellare? Quid enim definitio aliud quam oratio explicans τὸ τί ἐστι? Si quis quærat, quid est Grammatica, quid Logica, quid Rhetorica &c. & respondeatur, *Nihil aliud est, quam ars &c.* an responsum hoc pro explicatione essentię, seu rationis formalis, seu quidditatis (uti

scholæ loqui amant) hoc est pro definitione (perfectâ an imperfectâ, jam non quæritur) accipi non poterit? Sed excipitur, Ciceronem asserere, *fortem non ratione &c.* *Resp.* assertionem, non excludere definitionem: Omnis enim definitio cum suo definito conjuncta, & de eo tanquam de subjecto prædicata, & quidem enuntiatione necessariâ in primo modo dicendi per se est assertio, hoc est, enuntiatio affirmans aliquid de aliquo, debet enim omnis definitio esse affirmans: hinc est quod omnis definitio sit assertio, non contra. Sed pudet me hujus vitilitigationis ad Logicorum παῖδας remittendæ. *Resp.* 2. Non recipimus, quod dicit Ciceronem verè immo verissimè asserere, *fortem non consilio, sed casu & temeritate ferri*, additâ scilicet suâ limitatione, quam Cicero non habet, *creaturam quod attinet.* Ciceronis verba, quæ Aretium respexisse puto, ita „ se habent: Dicendum igitur putas de „ sortibus. Quid enim sors est? idem pro„ pemodum quod micare, quod talos jacere, „ quod tesseras. *Quibus temeritas & casus* „ *non* ratio & consilium valet. Hæc pag. 81. edit. Lugdunensis autore Alexandro Scot. in 12. aut parvo 8. Anno 1589. Cum qui„ bus confer pag. 56. Quid *est enim aliud* „ *sors*, quid fortuna, quid casus, quid e„ ventus

,, ventus; nisi cum sic aliquid cecidit, sic
,, evenit, ut vel non cadere, atque evenire,
,, vel aliter cadere, atque evenire potuerit?
,, quomodo ergo id, *quod temerè fit cæco*
,, *casu*, *&* *volubilitate fortunæ* præsentiri
,, & prædici potest. Ex his assertio seu definitio Ciceronis desumta fuit ab Aretio, & censura notata. Observa autem, τὸ φὸν illud φάρμακον (*creaturam quod attinet*) quod peculiari æquitate & caritate Ciceroni propinatur, non haberi in Cicerone nec verbis ejus aptari posse. Non habet Cicero, quo censor definitionem, ejus sive assertionem sanare conatur. Ostendo id Aretii potius, quem secutus sum, quam meis verbis;
,, Sed quod addit Cicero, sortem ni-
,, hil aliud esse quàm spectare temerita-
,, tem & casum fortunæ, non concedimus.
,, Pii enim in sortibus respiciunt Domini
,, voluntatem & judicium illius, ad quod sor-
,, tibus provocant, ideoque rogant ut ipse de-
,, cernat de his, quæ humana ratio non po-
,, test satis commodè expedire. Quòd autem
,, alii effectum fortuitum dicunt: concedi-
,, mus hâc distinctione adhibitâ. Quod nos
,, attinet videri quidem fortuitum, quicquid
,, sortes decernunt, quia sine consilio nostro
,, id accidit: nisi quod conventione partes
,, diffidentes in sortes consentiunt. Verùm

quod Deum attinet, quem in his respicere debemus, certo & fixo consilio, sic & non aliter, sortes pronuntiare jubet: ita ut nec casus, nec fortuna quicquam hic loci habeat: hinc factum est, ut quicquid sortes semper pronuntiarint, tanquam Dei oraculum sint amplexi pii; loquimur enim de piorum tantùm sortibus.

Ger. Joh. Vossius lib. 2. de orig. & progr. idololatriæ cap. 43. jactus aleæ quorundam semper penè felices, aliorum semper penè infelices haud obscurè operæ assistentium geniorum videtur tribuere; & his verbis ,, concludit. Nec sanè possum in animum ,, inducere, casum inesse in rebus: sed o- ,, mnia censeo vel à naturæ necessitate, vel ,, à nostro, aut alieno dependere arbitrio. ,, Nempè quod de morbis nonnullis Cöus ,, ille vates ait in primo præsagiorum; id ,, non minus dixero *de alea, ac cæteris*: ,, quæcunque propter nostri ignorantiam, ,, fortunæ aut casui tribuuntur, in iis θεῖόν ,, τι, & inesse & (N. B.) cogitari debere.

§. *Cum Cajetanò verò mala fide agitur &c.*) Verba Cajetani, quæ ego respexi, & improbavi, sunt ista: *Si autem fortunæ committitur eventus per sortes, tunc ex genere suo nullum peccatum apparet. Sed ratione causæ, puta si ex levitate fiant: vel ratione*

materiæ

materiæ, puta quia in his, quæ per electionem fieri debent, aut aliunde, quam ex fortuna cognosci, aut haberi debent, peccatum est. Vides ergò tali fortunæ respectu in se, per se, & absolutè, non peccari Cajetano; sed tantum per accidens, aut per ac propter aliud accessorium: eundemque laxiorem hic Casuistam confidenter agere, & à Thomâ recedere, ut & in aliis modo indicatis. Thomas trepidans aut dubitans, sic loquitur art. cit. Et siquidem ex fortuna exspectetur sortialium actuum eventus; *non videtur habere nisi fortè vitium vanitatis.* Idem confidentius asserens opusc. 25. (quod in margine à Cajetano ibid. citatur) cap. 6. sic loquitur: *Sed quia divisoria sors locum possit habere etiamsi res humanæ fortuitò agerentur, ut supra dictum est, contingit divisoria sorte uti non quasi exquirat divinum judicium, sed quasi committentes fortunæ, quod maximè videtur in taxillario ludo. Quod vitio vanitatis non caret.* Atque hinc omnibus, qui Thomam & Cajetanum inspicere dignabuntur, patescet nostra bona fides, & mala festinatio censoris, cum ait; *Mala* fide *agitur cum Caietano, cum is cautè locutus adjecerit, (quod tacitum non oportuit)* sub divina tamen providentia. Atqui ajo ego Cajetanum cautè non locutum,

nec adjeciſſe ibi τὸ *ſub divina providentia*, quod cenſor aſſerit. Malâ feſtinatione hic mecum egit cum textum illum qui exſertè habet, quod reprehendi, non legit: nec ſatis bonâ feſtinatione cum Cajetano egit, cum ex tractatione quæſtionis expoſitioni literæ ſubjectâ (quam ego non reſpexi, nec reprehendi.) *Num uti ſortibus diviſoriis in temporalibus dignitatibus ſit peccatum*, verba illa Caietani, *ſub divina tamen providentia*, oſtentat tanquam ad determinationem & reſponſionem ejuſdem pertinentia, cùm pertineant ad dubitationem ſeu objectionem, quam his formalibus verbis ſic inchoat: *Eſt tamen hic dubitandi locus. quoniam in litera* (Thomæ ſcil.) *dicitur, non eſſe peccatum uti ſortibus diviſoriis in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrenam diſpoſitionem pertinent. Conſtat namque quod hujuſmodi ſortes fortunæ committuntur, ſub divina tamen providentia, ſicut in rerum diviſione. Et ratio dubii eſt, quia in dignitatibus diſtribuendis agitur de malo communi Reipublicæ &c.* Dubium iſtud motum, peculiari & proximè ſequenti paragrapho ſic ſolvit Cajetanus: *Sed hæc ambiguitas facilè ſolvitur*, ſi &c. Ut autem ex abundanti magis pateat mens & laxa Caſuiſtica Cajetani, exhibeo verba ejuſdem, quæ improbata

in

in consectario nostro proximè præcedunt:
,, Aut exspectatur eventus sortium à cœlo
,, ratione talis temporis, puta quia occur-
,, rit tunc tempus suæ exaltationis secun-
,, dum astrologiam, & propterea sperat,
,, quod omnia in quibus agitur de ipso, cœ-
,, lum inclinabit secundum suas vires in ex-
,, altationem ipsius, & sic fortè cadet sors
,, super illum illâ horâ. Consolatio quippe
,, ista licet levis sit, damnanda tamen non
,, est. Et hæc omnia toleranda præcipuè
,, sunt, quando sortes non fiunt præcisè
,, propter cœlestem actionem, sed partim
,, à fortunâ, partim à cœlo, partim à di-
,, vina providentia sperantur. Si autem for-
,, tunæ committitur eventus per sortes,
,, tunc ex genere suo nullum peccatum ap-
,, paret.

§. *Illud prius confirmandum fuerat (quod non est factum)* &c. *quam de eis censura tam fidenter ferenda &c.*) Pruritus criticus ad materiam περιέργων, ac rhetoricationum conquirendam stimulat. Ostendatur nullas theses & assertiones Academicas, nulla consectaria aut corollaria thesibus subjici, & ad disputandum proponi debere, absque choragio probationum. Quis talem methodi magistrum scholis & exercitiis nostris præfecit? Quid quæso hæc e-
vaga-

vagationes ad controversiam principalem?

GISB. VOETII.

2. *Variè dividuntur Sortes, respectu objecti seu materiæ in divisorias, Consultorias, Divinatorias*, Peucerus de divinat. *distribuit in Politicas, Divinas, Divinatorias. Alii in Divinas, Humanas, Diabolicas.*

--- *Sortes divisorias dicimus esse, quæ adhibentur, cum dubitamus, cui aliquid sit adjudicandum in hæreditate, in bonis, in honoribus, oneribus, laboribus, periculis, &c. Suntque vel publicæ vel privatæ; rursum vel sacræ* Levit. 16. 1 Paralip. 26. Actor. 1. *vel civiles: quæ rursum vel ordinariæ*, Prov. 18. 18. *vel extraordinariæ.* 1 Sam. 10. Josuæ 14. & 15.

Divisorias Sortes esse licitas omnes hodie concedunt Jurisconsulti, Civiles & Canonici, ad caus. 26. quæst. 2. c. Sors. pariter cum Theologis Pontificiis & nostris: quamvis Hieron. in Jonæ 1. *omnem usum Sortium videatur rejicere: qui forte ex occasione abusuum in extremam hanc sententiam compulsus fuit. Addunt autem* Cajetanus in 2. 2. q. 95. *a.* 8. *&* Malderus loc. cit. *conditiones & limitationes quasdam, quibus hæ sortes sint licitæ. Plene magis & perspicue* condi-

conditiones exhibet ex nostris Martyr. loc. cit. *Nos illum secuti, pauculis additis, ita eas designamus. Prima est, ne temerè veniatur ad sortes, prius enim utendum est spiritu Dei, verbo, ratione. Et si humana prudentia dispicere non possit, aut si possit, tamen invidia alià ratione declinari non potest, tum demum necessitas gloriæ divinæ & boni publici aut privati suadet sortem. Secunda, ut ad sortes religiose accedatur, cum intuitu providentiæ divinæ, & expectatione determinationis ab ejus judicio, & animo acquiescendi in ejus voluntate. Tertia, ut absit superstitio. Quarta, ut materia sortis sit res justa & licita, & quidem seria ac alicujus momenti. Sexta, ne ad sortes adhibeatur Evangelium aut verbum Dei.*

Consultoriæ sortes sunt, quando inquiritur quid in rebus ambiguis judicandum aut faciendum. ——— *Has autem absolutè illicitas dicimus, nisi Deus extraordinariò præscribat. Aut enim judicium expectatur à Fortuna, hoc est, ab idolo, quod vanitatis & superstitionis est; aut à Diabolo, quod est Magiæ; aut à Deo, quod est præsumptionis, cum homines nesciant, cujus Spiritus sint. Nam exempla Saulis & Regis Babylonii in Scriptura, authenticam*

cam fidei morumque regulam non faciunt. ——

Divinatoriæ sortes sunt, quæ adhibentur ad prænotionem futurorum. Sunt autem illæ vel licitæ seu divinæ, vel illicitæ: & hæ rursus vel vanæ, vel superstitiosæ, quæ scilicet directè sunt contra religionem. Superstitiosæ pertinent vel ad superstitionem simpliciter diabolicam eamque vel explicitam vel implicitam. —— *Porrò refutantur ejusmodi Sortes ab Autoribus tit: & tract. de Magia, Divinatione, Prophetia, superstitione.*

THOM. GATAKERI.

Theseos istius partem magnam resecui, quo transcribendi tædio consulerem, quia ad controversiam institutam neutiquam pertineret. In eis quæ exhibui, quæ animadversione aliquá digna visa sint, paucis attingam.

1. Sortes *Divisoriæ à Consultoriis* parum commodè distinguuntur: Quid est enim aliud *Sortem adhibere, cum dubitamus, cui aliquid sit adjudicandum*, &c. quam eandem *adhibere, quando inquiritur, quid in rebus ambiguis judicandum aut faciendum?* quid est enim *dubitare*, nisi *ambigere*? quid *alicui aliquid adjudicare*, nisi *aliquid judicare & facere*?

2. Malè

2. Malè Sortes *Consultoriæ* à *Divinatoriis* dispescuntur, cum sub istis & illæ comprehendantur. Vide *Tract. de Sortib. c.* 10. §. 2.

3. *Divinatoriæ* ad *futurorum*(de quibus & *Consultoriæ* quærunt) restringuntur, cum latius multo pateant istis subjecta, quod Achanis, Jonathæ, Jonæ casibus ostendimus. *Tractat. de Sortib. cap.* 10. §. 5. & 6.

4. Quod de Hieronymo dicitur, *omnem eum usum Sortium videri rejicere*; benè habet, quod *videri* illo temperata sit dictio: alioqui crimen falsi adversus Hieronymum admissum esset. aliud est enim *Sortibus uti*, (non divinatoriis, quales nautæ illi usurparunt, sed aliis quibuslibet) aliud *sub eorum exemplo Sortibus credere*, quod solum, vetat Hieronymus; *jubent isti, qui à peculiari ac immediata Dei providentia eventum earum expectandum docent.* Quis enim nisi impius planè, huic non credat? Hugo reverâ Cardinalis in Jonæ 1. utrumque conjunxit. *Non ex hoc exemplò debemus credere vel uti sortibus.* Verùm mens hominis clara satis est, non trahendum in exemplum, quod illi fecerant, aut in casu istiusmodi, in quo illi sorte aliquâ utendum. Quâ in re sanius certè censuit, quam è nostris, etiam

etiam primæ summæque notæ, non nemo. Vide *Tract. de Sortib. c.* 10. §. 5.

5. Quod ad *conditiones* illas attinet, quæ ad Sortis *divisoriæ* usum legitimum exiguntur, infirmo fundamento, quod Thesi primâ nudè proponebatur, innituntur pleræque, & cum eodem nutante corruunt. Prima est non necessaria: secunda, superstitiosa: tertia, secundæ contradictoria: quarta ex parte alterâ, (quam quintam forsan voluit, alioqui numerum senarium quæ conficiat, una deerit) supervacanea: sexta, heterogenea: quia ad eam Sortis speciem pertinet, quam ex se illicitam Autor ipse pronunciat. Verum has plenius discussas & rejectas habes, in *Tract. de Sortib. c.* 5. §. 3.

6. Quâ ille ratione *Sortes Consultorias absolutè illicitas* esse statuit, *nisi Deus ipse extraordinariè præscripserit*; eadem planè de *divisoriis* quibusque censura parilis ferri poterit, si à speciali atque immediatâ Dei providentiâ eventus in eis expectatur. hoc enim futurum credere præsumtionis est: cum Deus sortibus eo modo affuturum se, nusquam promiserit. Itaque quod idem Consectario tertio concludit, *Sortem Consultoriam nunquam esse licitam, quamvis conditiones à Pontificiis quibusdam præscri-*

ptæ

ptæ obſerventur, quia nullâ Scripturâ aut ratione nititur: idem ipſe de Sorte omni in univerſum, qualem iſti definiunt, merito jure concluſerim, *Sortem ejuſmodi nullam unquam licitam eſſe, etiamſi conditiones omnes ab autore iſto præſcriptæ obſerventur, imo hoc ipſo eſſe illicitam quod harum aliqua ſaltem obſervetur, quia nullâ ea Scripturâ aut ratione nititur.*

Anacrisis III.

§. *Theſeos iſtius magnam partem reſecui &c. quia ad controverſiam inſtitutam neutiquam pertineret &c.*) Sunt & alia, quæ quia ad cauſam principalem parum facerent, decorè omitti potuiſſent; niſi zelus cauſæ alearis morbum criticum concitaſſet.

§ 1. *Sortes diviſoriæ à conſultoriis parum commode diſtinguuntur* &c,) Novimus pro varia vocis acceptione diſtingui & non diſtingui poſſe; & verbis proximè ſequentibus (quæ cenſor reſecuit) hoc indicabamus; & jam ante nos *Zwarez lib. 2. de religione cap. 12.* & *Malderus ad 22. tract. 10. cap. 7. dub. 9.* tale quid monuerant qui hoc oſtendunt in caſibus ſortitionis, ab Auguſtino propoſitis, ſcil, quinam ex miniſtris tempore perſecutionis diſcedere aut fugere debeant, uter ex pau-

pauperibus juvandus sit; Mittuntur enim sortes (ut recte Malderus) *non ut sciatur quid agendum, sed cum constet quid agendum, ut discernatur, à quo potius agendum sit.* De quibusdam ergo consultoriis licitis scil. & ordinariis, facile colligi potest, aut eas coincidere cum divisoriis aut tanquam speciem ad genus divisoriæ reduci. Alioquin consultoriæ licitæ extraordinario instinctu divino, & illicitæ ex præsumtione & vacuâ observatione susceptæ, *consultoriæ* dici & à divisoriis distingui possunt, eâ ratione, quâ divinatio in divinam, & in diabolicam ac superstitiosam, adoratio in religiosam & superstitiosam distinguitur, Neutra autem ex illis dictis consultoriis propriè est divisoria, sed potius ad *divinatoriam* reducenda esset. Consectarium tertium huic thesi subjectum aliquâ etiam ex parte mentem nostram prodit. Quod ad vulgatam divisionem Casuistis ex Thoma & scholasticis usitatam, nos eam initio secundæ thesios historicè tantum retulimus nec improbantes nec approbantes, quod cum Casuistis Pontificiis nobis res esset, & contra indulgentem ipsorum opinionem determinandum. Nihil ergo examen vulgatæ & ex Casuistis à me relatæ divisionis ad præsentem contro-

ver-

versiam à censore mihi motam. Potuisset ergo tempori & chartæ parcere. Ut autem lector integrum thesios meæ contextum perspicere possit, prout anno 1636 primum & postea anno 1659. in secunda editione cum 3. parte select. dispp. eum exhibui, supplebo hic lacunas: quarum quatuor priores transversis lineolis notatæ; quinta absque lineolâ. 1. lacunam, post *diabolicas*) supple: *Respectu materialis externi seu instrumentorum, circumstantiarum, fiebant enim per globulos, tesseras, chartulas &c conjiciebantur in sinum, aut urnam, aut hydriam, aut galeam &c. Respectu usus sortientium, sic sortes Prænestinæ, Liciæ, Deliæ, Antiatinæ &c. Nos illis omissis (de quibus* Peucerus libr. cit. Aretius, Martyr in loc. comm. Delrio disquis. Magic. lib. 4. c. 2. qu. 7. *nonnulla etiam* Rosinus & Demsterus in antiquitatibus.) 2. Lacunam post *faciendum* supple: *De facto præterito inquiritur* Josuæ 7 *de futuro inquirit seu consultat rex Babylonis* Ezech. 21. vers. 21, 22. 3. Lacunam post, *non faciunt*) supple: *Quæ à Toleto aliisque adferuntur ex Augustino epist.* 180. ad Honoratum & de doctr. Christian. lib. 1. c. 28. *de sortitione faciendâ inter ecclesiæ ministros & inter pauperes, ad divisorias sortes*

referri

referri possunt, ut cum Zwarezio etiam observat Malderus. Hæret ergo aqua Pontificiis, qui cum consultorias tanquam absolutè malas nobiscum condemnarunt (sic Malderus), tamen ad palliandam suorum superstitionem, tandem excipiunt adversus hanc suam doctrinam: ut Delr. l. c. & Cor. à lapide in Act. 1. *Laudat Franciscum Assisium sortito captantem sententias scripturæ primò in euangelio occurrentes, easq; capessentem pro regulâ vitæ, ut refert Bonaventura in ejus vitâ.* Hæc si lectori exhibita fuissent, vidisset supervacaneam & quæsitam fuisse censoris nostri crisin. 4. Lacuna post, *vel implicitam*) supple; *Longè lateque hæ sortes olim vagatæ sunt: de formis & ritibus earum videri potest* eruditissimum opus Peuceri de divinationibus, *&* Aretii problemata; *post quos & ex quibus, ni fallor, non pauca annotavit* Delrio disq. Mag. lib 4. c. 2. qu. 7. Demsterus in paralip. ad lib. 2. antiquit. c. 7. Vide *&* Alciatum parerg. lib. 5. c. 22. *peculiariter de sortibus, in oraculis adhibitis, &* JCC. ad l. de Maleficis *&* Mathem. *&* Canonistas ad caus. 26. qu. 2. c. sortes. 4. Lacuna post *superstitione*) supple: *inter alios* à Sirenio de fato lib. 2. c. 38. Lessio de superstit. (corrige, *de Justit. & jure*) lib. 2. c. 43. dub. 9. *&*

9. *& Scholasticis ad Thomæ 22.qu. 95. art. 8. Delrio loc. cit. Quamvis hic postremus non omnia ita expugnet, quin conniveat ad quasdam sortes, immo eas tueatur, in gratiam scil. Romanæ ecclesiæ, quæ illis superstitionibus non paucis etiamnum inquinata est, & olim vehementer se polluit. Nec tamen veretur more infamium scortorum innocentissimæ famæ doctissimi Peuceri loc. cit. quasi aliud agens labem aliquam aspergere, ac si ille alicujus fecisset sortes divinatorias. Papatus crimina vide à nobis detecta* Desper caus. Papatus lib. 1. sect. 4. pag. 34. *Hodie etiamnum apud Gentiles in Japonia sortes divinatorias admodum frequentatas testatur Xaverius epistol. lib. 3. epist. 5,* Restant quatuor consectaria thesi subjecta, quæ cum censore hic præterimus; quod excepto tertio nihil contineant, quod à censore admordeatur, aut præsentem controversiam tangat.

§ 2. *Malè sortes consultoriæ &c*) Battologia. Quid enim differunt illa; *parum commodè distinguuntur*, ab istis *malè consultoriæ &c. dispescuntur*. Præcedenti paragrapho de hoc satis dictum.

§ 3. *Divinatoriæ ad futurorum &c. cum latius multo pateant* &c,) Ego vulgatam divisionem ex Thomâ, & Casuistis retuli

C sal-

saltem, & præsupposui, ad limam criticam non revocavi: quia non faciebat ad controversum abusum sortium, quem thesi proximè sequenti perstringo.

§. *Quod de Hieronymo dicitur, omnem usum sortium* &c.) Resp. 1. cum dico *videri*, debuisset censorium suum pruritum temperare; saltem abstinere tum ab acerbis obtrectationibus de commissione *criminis falsi*, tum ab iniquis calumniis. Nec primus nec solus ego sum, qui non sine justâ suspicione & probabili conjecturá τὸ *videri* de Hieronymo pronuntiavi. Lector perpendat hæc verba Hieronymi: *Nunquam sorte autorem naufragii quærerent, & per rem incertam, certum cuperent evitare discrimen. Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere: vel illud de actibus apostolorum huic testimonio copulare: ubi sorte in apostolatum Mathias eligitur: cum privilegia singulorum non possint legem facere communem.* An Hieronymus hic tantum vetat exemplo nautarum Jonæ 1. & Apostolorum *Actor.* 1. sortibus credere, neutiquam vero vetat exemplo eodem sortibus uti? Cum Mathias sorte eligitur & hoc nobis negat imitandum, nullamque hic aut alibi addit exceptionem aut limitationem, an non tacitè omnem vul-

vulgarem usum sortis, etiam divisoriæ, removere videtur? Quâ quæso criticâ subtilitate, hoc nobis extorquebit, Hieronymi mentem, ante nos, ita accepit *Martyr in* 1. *Sam* 10. Et *Aretius in problem. part.* 1. *loco* 67. Nec video cur ab illis discedam; sed parum de futili hac censura laborandum. Majus est, quod piis & orthodoxis aleæ patrocinium cum ipso non suscipientibus, calumniosè impingit: *Jubent*, inquit, *isti* (sortibus scil. credere, sub exemplo nautarum), *qui à peculiari ac immediata Dei providentiâ eventum earum exspectandum docent.* Nec uti sortibus, nec iisdem credere jubent, sub exemplo nautarum, non magis quam sub exemplis Cajaphæ, Pharaonis, Nebucadnezaris (quæ ibidem ab Hieronymo adducuntur) divinare, aut divinationibus credere? Sed jubent in communibus & à Deo concessis sortitionibus (quarum conditiones infra explicantur) à peculiari ac immediatâ Dei providentiâ eventum earum exspectare: non à Deâ fortunâ non à Deo casu, non à numine contingentiæ, non à cœlo, non à dæmonibus. Quod autem testimonio *Hugonis revera* (uti encomiasticè loquitur) *Cardinalis* probat ex hoc exemplo non esse credendum aut utendum sortibus, nos minime tangit. Ne-

que enim statuimus in tali casu & eo fine, quo nautæ, sorte utendum. Si quis è nostris theologis primæ summæque notæ (quem non nominat) ita philosophatus sit, in mentem ejus nunc non inquirimus. Interim audiatur idem, quem verè Cardinalem salutat, (quod scil. laciniam velamento aleatris Helenæ aptasse putetur) in *commentar.*
„*ad Lucæ* 23. Rectè autem nomine sortis
„ gratia Dei significatur. Sicut enim sors de
„communi consensu mittitur, & super u-
„num tantum cadit, omnibus tamen sati-
„facit &c. & sicut sors nemini favet pro di-
„ gnitate vel personatu, vel primatu, sed
„occulto Dei judicio (Nota), non meritis
„personæ cadit, sic gratia Dei &c. Johann.
„3. *spiritus quo vult spirat &c.* Proverb.
10. *sortes mittuntur &c.* Ecclesiastic. 14.
In divisione sortis &c. Verè Cardinalem, quo sensu Hugonem Carensem dixerit, non immeritò disquiri posset. Hoc certum est, eum fuisse ex cardinibus terræ, qui Papæ Innocentii 4. tyrannidem sustentavit & contra Imperatorem Fridericum ad electores Germaniæ missus fuit procuratum, ut excommunicato Friderico alium Imperatorem substituerent. De quo vide *Possevinum* & *Sixtum Senensem*, coll. cum *Plessei mysterio iniquitatis*, Sit ergo & hac in

parte

parte alearum patronis verè Cardinalis.

§. *Quod ad conditiones illas attinet* &c. *prima est non necessaria* &c.) *Resp.* Immo maximè necessariam cum Zanchio, Riveto, aliisque infra cit. affirmamus; quia ubi lumen rectæ rationis, aut scripturæ, concomitante Dei spiritu, viam ostendunt, quâ in rebus dividendis eundum, sors advocanda non est, ad præveniendam aut sopiendam contentionem Alioquin omne judicium tum simplex tum jurisdictionis circa rerum divisionem, omnis χειροτονία & electio circa munera politica & ecclesiastica, absolutè abjicienda esset, & solæ sortes perpetuò adhibendæ, in quarum casu ac eventu nec ratio, nec ingenium, nec ars, nec industria humana locum habent. Hoc esset hominem facere ἄεργον & ἀπράγμονα; & quasi truncum aut statuam Dædaleam: cujus opera in divisionibus & electionibus nec laudem nec vituperium mereretur, quippe rationis, judicii, & voluntatis expers. *Secunda* inquit, *superstitiosa*) *Resp.* Quod theologis nostris Luthero, Danæo, Zanchio, Junio, Riveto, Tileno &c. (quorum verba infra exhibemus) est religio, tibi est superstitio. Quare, quia αὐτὸς ἔφα, quia ex propriâ affirmatione, aut nudâ negatione defendit, absque minimâ

rationis umbrâ. Pari facilitate superstitiosum appellare potuisset, quidquid à vanitatibus hujus sæculi abhorret, quidquid μόρφωσιν εὐσεβείας, & civilem honestatem transcendit. Si superstitionem definivisset, & huic verè fidelium ac piorum sensui & praxi applicasset, responsum habuisset. *Tertia.* inquit, *secundæ contradictoria*) *Resp.* Vah nugamentum! Ubi secunda conditio postulat superstitionem. An religio tibi superstitio est? Tantundem facit, ac si Anabaptistæ juramenti religionem, quam nostri ex verbo Dei asserunt, superstitionem appellarent? Vide infra quid theologi citati de religiosâ sortis tractatione ex verbo Dei prònuntient. *Quarta,* inquit, *ex parte alterâ* (*quam quintam forsan voluit, alioquin numerum senarium quæ conficiat, una deerit*) *supervacanea.*] Resp. Per parenthesin rectè conjicit, partem posteriorem quartæ, esse quintam conditionem. Hoc ergo concesso, manet quarta conditio his verbis expressa: *ut materia sortis sit res justa & licita.* Cum enim super bono morali ad quod obligamur, omittendo aut malo morali committendo non possit sortitio fieri, relinquitur rem debere esse licitam. *Quintam* ait esse *supervacaneam*] *Resp.* Salva nobis res est, si modo falsa aut absur-

da

da non sit. Ea autem est, ut sit *res seria & alicujus momenti*. Neque enim in rebus quotidianis & leviculis, quamvis non illicitis, ilico ad sortes confugiendum est: sicuti in nucibus inter infantes dividendis, in portionibus & poculis à patre familias inter commensales suos distribuendis &c. Rectè *Amesius lib.* 4. *Casuum cap.* 23. Causa justa sortis divisoriæ est, *cum nulla alia ratio occurrit grave aliquod incommodum vitandi. Gravitas autem incommodi aliquando pendet ex gravitate rei ipsius &c. Pendet autem sæpe ex hominum affectu &c.* Et hoc monere supervacaneum non est. *Sexta*, inquit, *heterogenea est: quia ad eam sortis speciem pertinet, quam ex se illicitam ipse autor pronuntiat*, Resp. Crisis λίαν ἀκριβής, si non inepta. Pingam similem crisin, Ineptiens quis conditiones legitimæ precationis (*quæst.* 117. *catecheseos nostræ*) dicat esse heterogeneas: quia ab alio quo petere quam à Deo, in alterius nomine quam Christi, ad eam speciem precationis pertinent, quam, *catechesis* ipsa (*quæst.* 94.) & omnes orthodoxi cum illâ ex se illicitam esse pronuntiant Similis bellula crisis exerceri posset circa conditiones legitimi juramenti *quæst.* 101. & 102. Conferat lector, cui vacat, *Zanchium de divina-*

vinatione pag. 87. 96. Ubi has ſortitionis conditiones exponit & probat.

§. *Quâ ille ratione ſortes conſultorias abſolutè illicitas eſſe ſtatuit &c. eadem planè de diviſoriis quibuſque cenſura parilis &c. Hoc enim futurum credere præſumtionis eſt: cum Deus ſortibus eo modo affuturum ſe &c.*) *Reſp.*) Non præſumtio eſt, ſed devotio credere verbo Dei Proverb. 16. verſ. 33. *à domino omne judicium &c.* Et ſi juxta verbum Dei *Proverb.* 18. 18. ad evitandam aut ſopiendam contentionem, legitimè utor ſorte; quidni divinitus promiſſum mihi credam, eventum fore Deo glorioſum, mihi ſalutarem, quamvis hoc aut illo particulari reſpectu adverſum. *Rom.* 8. *vers.* 28. Reliqua quæ attexit, merus verborum tinnitus, mera petitio quæſtionis, abſque teſtimoniis, rationibus, elenchis.

GISB. VOETII.

3. *Controverſia Capitalis eſt de Sortibus ludicris, an illæ ſcilicet ad licitas diviſorias ſint reducendæ. Pontificii vulgò affirmant. Sic enim Corn. à Lapide in commentar. ad Jonæ* 1. Huc ſpectat, *inquit*, contractus ſortium, qualis eſt in luſu aleæ. *Delrio lib.* 4. *c.* 4. *Toletus lib.* 5. *c.* 27. *Balduinus in caſib. l.* 4. *c.* 4. *caſu* 10. *Probat uſum*

sum aleæ & chartarum, cum sit non lucri, sed animi causâ, &c. Ex nostris, Theologus Anglus Gattakêrus peculiari tractatu Sortes ludricas defendit tanquam ex se non malas: cujus rationes popularis ipsius Jacobus Balmfordus in tractatu peculiari oppugnavit. Nos cum Danæo, cujus tractatus de hac controversia extat, & cum nostrate Practico eximio Joh. Taffino libr. de emendatione vitæ, *omnibusque, ni fallor, Theologis, Gallis, Belgis, plerisque Anglis & Scotis, immò omnibus ferè reformatis, statuimus, lusus illos, non tantum propter injustum lucrum & proximi expilationem, sed etiam ex se & suâ naturâ, propter abusum sortis, esse illicitos.*

THOM. GATAKERI.

1. Sicut *Jacobus Balmfordus Gatakeri illius rationes oppugnavit*: ita Gatakerus idem Balmfordi tractatum illum scripto peculiari refutavit. Quin & Gattakerus idem, quod autor iste ignorare non potuit, non Balmfordi solius, sed illorum quoque quos is hic nominat, aliorumque insuper (quotquot videre contigerit) qui ex parte ista steterant, rationibus in *Tractatu* illo cujus hîc meminit, respondit, quarum ille quasdam, tanquam *cramben* toties *recoctam*, denuò

reponit; nec adducit quicquam, quo Gatakeri illius vel responsa tollantur, vel pro parte adversa rationes allatę elidantur. Quod si D. Voetio animus fuerit, vel D. Balmfordi ὑπερασπιστὴν agere, vel, si illo fælicius rem gesturum sese confidit, vires proprias experiri, in Gatakeri *Tractatu* illo *oppugnando, quod haud difficile fuerit homini, qui tam numerosum agmen antiquitatis totius Pontificum, Principum, Theologorum, Politicorum in aciem producere, horumque omnium armis instructus ad pugnam procedere potuerit, intelliget forsan*, quod infelix olim Rex ille, *nondum omnium dierum Soles occidisse*, nec tanto strepitu fremituque ita nos exanimatos, qui tueri nostra & velimus & forsan etiam valeamus.

2. Fidenter nimis pollicetur iste sibi tam latè patentem *Theologorum, Belgarum, Gallorum omnium, Anglorum Scotorumque plurimorum* consensum. Unde enim, ut de *Belgis Gallisque* nihil dicam, homini extraneo innotescere potest, quid nostrorum plerique hac de re sentiant Theologi? Quotus enim quisque è nostris est, qui in publicum quicquam omninò edat, si cum eis conferantur, qui nihil unquam ediderunt? Tum quam pauci ex eis, qui sua evulgarunt, in argumento isto versati sunt? Certè

ex

ex eis, quibus ipse familiariter utor, Theologis (ut de aliis nihil dicam, qui per eos vel *Tractatus* illius edendi suasores erant, vel jam editum probare se professi sunt) multo majorem partem mecum sentire novi. Cæterum quam variè hîc senserint qui controversiam istam tractarunt, Protestantes quos dicimus, indicavi latius, in *Tract. de Sortib. c.* 6 §. 3. & *adv. Balmfordi præfat.* § 10. *p.* 23, 24. Danæus, quem laudat iste, & quocum sentire sese Taffinus, prout & ipse hîc, profitetur, ludos mixtos, qui partim industriâ, partim casu nituntur, non damnat. *Non sunt*, inquit, *prohibendi*. de aleâ *c.* 6. sed nec Petrus Martyr. *Concedi possunt*, inquit, ad Judic. *c.* 14. Assentiuntur è nostris, quem primo loco officii debiti ratione pro majestatis fastigio colloco, Serenissimus regumque quos ætas Christiana ulla tulisse memoratur literatissimus *Rex Jacobus* (cui inter scriptores Theologos scripta Theologo quovis digna nomen jure merito vendicant) *doni regii l.* 3. Tum viri clarissimi, *Joannes Regius* Episcopus Londinensis *in Jonæ cap.* 1. *Gervasius Babingtonus* Episc. Vigorniensis *in Mandat* 8. Et Guilielmus Perkinsus *in casib. conscient. l.* 3. *c* 4 §. 3. *q.* 2. quod & autor iste fatetur *Thesi* 4. *casu* 3. *Joannes* item *Dunæus*,

ὁ μακαρίτης magni illius Juelli ex sorore nepos, vir gravitatis verendæ vitæque integerrimæ, Theologus acutissimus pariter atque solidissimus apud Cantabrigienses suos semper habitus, Sortis usum ludicrum adversus innominatum quendam scripto peculiari tutatus est. Ipse denique Calvinus (Gallus, opinor, & Ecclesiarum, dum vixerat, Gallicarum os & oraculum) *epist. 374. Aleæ, & chartas quas vocant, —— non à nobis ita damnarentur, si in eorum lusu, quod licet, locum haberet*, quod Autoris istius Thesi isti ex diametro adversatur. Cæterum ista de conspiratione tam amplâ ad odium tantum & invidiam conflandum, & præjudicium faciendum, præsumptionibus incertis staminata oggeruntur: quod ab eis solet fieri, qui causæ per se nutantis firmoque parum tibicine suffultæ patrocinium suscepere: Rationes audiamus, & quod olim Augustinus ad Maximinum *l. 3. c. 14. Nec ego Danæum aut Calvinum, nec tu debes Danæum aut alium quempiam, tanquam præjudicaturus proferre; Scripturarum autoritatibus, testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.*

ANACRISIS IV.

§. *Sicut Jac. Balmfordus &c. Quin & &c.*

quod

quod autor iste ignorare non potuit, non Balmfordi solius; sed illorum &c) Præsupponit me eristica illa scripta pro ludis aleæ, & similibus tunc temporis legisse, expendisse. Quod non memini. Balmfordi libellum Anno 1623. editum in 8. benè memini me tunc legisse, & ex eo didicisse ac retulisse scriptum quod à Th. Gatthak. pro ludis sortium dialogo Balmfordi oppositum, cujus rationes & exceptiones Balmfordus dicto libello oppugnat. Potui ergo ista tunc ignorare, prout usque ad illud tempus ignoravi, & quidem absque ulla culpa. Neque enim semper tenentur Theologi assertionem quam aut thesin orthodoxam publico examini in Academicis exercitiis subjecturi, omnes libros & libellos polemicos de illa quæstione scriptos prius legisse, relegisse, examinasse: ne quidem, cum autorum sive veterum, sive recentium oppositam sententiam tenentium historicè solummodo aut ἐν παρόδῳ meminerunt. Nôrunt hoc illi, qui theses, consectaria, corollaria, epimetra, contra Pontificios, Judæos, Neo-Arrianos, Anabaptistas &c. in Academiis unquam proposuerunt, aut proposita viderunt. Sed instet quis, Non debere sententias refutari, nisi ipse omnes libros propriis oculis legeris, & accuratè

expenderis. De refutatione speciali & in forma concedo, de generali nego. Videantur *dispp. syntagmatis Tileni,* & *Ant. Thysii in synopsi Leidensi, Diestii Enchiridion,* & similes collectiones thesium quamplurimæ. Ego indicatis autoribus aliquot utriusque partis, dixi me cum posterioribus sentire, & rationes aliquot subjeci. Neminem ex adversariis in forma refutavi, nec refutare intendi, nedum ut de refutando Gattakero, vel per somnium tunc cogitaverim: tantum veram meo judicio sententiam proposui, opponentium rationes & exceptiones in ipsa disputatione excepturus. Omnium tamen adversantium sententias, per consequentiam rejectas, & fontes solutionum à me suppeditatos fateor: cum rectum, teste Philosopho, sit index sui & obliqui. Rursum instet quis, frustra ergo à me nominatum Gattakerum: repono non frustra, ut scirent studiosi esse communem saltem communiorem hanc nostrorum sententiam, non ita tamen catholicam, quasi nullus dissentiret; & ut præveniamus Pontificios Casuistas, ob concessos ludos aleæ à nobis notatos, qui more suo facilè retaliarent, τὸ *Tecum habita, & non vides manticæ quod in tergo est.* Ita Theologi nostri disputaturi de mendacio, candidè profitebantur, esse unum

unum atque alterum inter nostros, qui mendacia officiosa non condemnant, aut de iis dubitant. Vide *Gomarum in epist. ad Colossenses append. de mendacio*, ubi indicat *Bucerum*: & *Davenantium ad c. 3. v. 9.* ubi Cassianum & fide Hieronymi Origenem. *Beza de repud. & divortiis pag.* 257. (*edit. in* 8.) indicat Bucerum; à quo in hoc argumento cogebatur in multis dissentire. *Prideaux lect.* 11. *de Antichristo* §. 4. *& in fine, imprimis lect.* 12. 13. *& oratione* 6. § 6. notat nostros Theologos dissentientes.

§. *Quarum ille quasdam tanquam crambem recoctam denuo reponit*) Theologi quotidiè in suis concionibus, lectionibus, thesibus Academicis, locis communibus, aliisque libris rationes aliquas reponunt, & usque ad finem mundi reposituri sunt, pro Christi Deitate, incarnatione, unione personali, pro Dei immensitate, omniscientia, omnipotentia, decreto, providentia, creatione, pro peccato originali, justificatione peccatoris, resurrectione, juramento, sabbatho, magistratu, conjugio &c. Si quis vetera illa & benè dicta tanquam *crambem toties recoctam* fastidiat, & ad nova atque indicta anhelet, nos tamen veritatem emere statuimus non vendere, & viæ veritatis tri-

tæ

tæ tanquam turæ insistere; eosque solutionum fontes suppeditare ex quibus mediocriter in rebus illis versatus, quævis repetita sophismata facili negotio diluere possit.

§. *Nec adducit quidquam, quo Gattakeri responsa tollantur*, &c.) Ne per somnium quidem cogitabam, neque vel verbulo ibidem indicabam, me librum aut tractatum elencticum de illa quæstione ex professo scripturum, nedum ut libros Gattakeri & Balmfordi conferendos, atque examinandos, illius rationes refutandas, hujus defendendas tunc sumserim; à quo ratio disputationis pro more Academico pauculis pagellis propositæ abhorrebat. Sufficiebat mihi utriusque sententiæ autores aliquot indicasse; pro ludo aleæ Corn. à Lapide, Delrio, Toletum, ex Pontificiis; Balduinum ex Lutheranis; Gattakerum ex reformatis. Addebam postremi rationes oppugnatas à Balmfordo. Quid verius, quid innocentius hâc relatione? Non dixi expugnatas, delumbatas, triumphatas, aut simile quid. Nihil minus Sententiæ illi quam tenent Danæus, & Taffinus cum omnibus ferè reformatis Theologis (ni fallor,) ajebam me assentiri. An hâc simplici & ingenuâ professione sine cujusquam injuriâ aut præjudicio tantopere peccatum est, ut publico libello

libello non sine purpurisso satyrico perstringi debuerim? Quam justè occasionem quæsiverit vir eruditus me tam pompaticè ad certamen provocandi, & tot satyricis dicteriis chartas conscribillandi, judicent æqui lectores. Saltem cavillus ille de tam *numeroso agmine antiquitatis &c.* huic præsenti negotio importunè intruditur; ubi agmina in aciem nec produco, nec explico, nec ostento. Autores aliquos ὁμοψήφους in hac, & similibus casibus, seu quæstionibus moralibus indicare soleo, tum ut Pontificios domesticis veritatis testibus commoveam, aut confundam, tum ut viris de hoc sæculo pro praxi sua contra fideles monitores plerumque tanquam ἰδιογνώμονας, & nimiæ insolitæque ἀκριβείας zelotas excipientibus occurram. Extra hanc necessitatem, non videbunt lectores concionum mearum vernaculo sermone editarum aut edendarum, margines latinis & græcis sententiis, & omnis generis scriptoribus, præsertim Gentilibus repletas. Sed sarcasmos istos unà cum puerilibus provocationibus & insultationibus, non tam ex ira aut odio in me, qui ne minimâ specie eum unquam læsi, quam ex nimii zeli pro alea fermentatione, profectos arbitror.

§. *Quod si Domino Voetio animus fuerit,* &c.

cuisse videantur, quamvis dicendo nihil dicant, quod satis superque profligatum & protritum non sit. Ne huic quidem censuræ amplificationibus, & ἀπροσδιονύσοις vitilitigationibus fartæ καλὰ πόδας respondissem, nisi importuna novæ editionis autorum περιεργία huc me adegisset. De quo supra in præfatiunculâ.

§ *Fidenter nimis &c*] Consensum Theologorum sive antiquorum, sive recentiorum, inter eos Anglorum, quamvis extraneus sim, exemplo omnium Theologorum controversias tractantium, ex libris editis metiri soleo. Omnium concionatorum in Anglia, Scotiâ, Gallia, Germania, Belgio, Helvetia, Polonia, Hungaria, Transsylvania mentem scrutati non sunt, nec scrutari debuerunt. Rivetus & Garassolius, cum consensum Theologorum advocant pro imputatione peccati Adamici, & ille pro sabbatho ante lapsum, scriptores complures in Belgio pro prædestinatione & gratia Dei, imprimis in secunda contra remonstrantia, aliique Theologi passim pro aliis assertionibus suis, intra autores scriptis notos se continent. Adeò, ut insolens planè sit quærere: *Unde homini extraneo innotescere potest, quid nostrorum plerique hâc de re sentiant? Quotus enim quisque nostrum est, qui in publicum*

blicum quidquam omnino edat &c. Atqui Perkinsus minimè extraneus *lib. 3 Casuum cap. 4. sect. 9.* mihi præiverat: *Ludi*, inquit, *hi in quibus dominatur casus & temeritas Theologorum omnium saniorum unanimi consensu damnantur* & *pag. 267. Ob has causas concors doctiorum Theologorum sententia ludos hosce tanquam illicitos improbat & damnat.* Intelligit ergò Theologos reformatos, Anglos scil. Gallos, Germanos, &c. Quod ad Anglos Theologos, censor dicit ex iis, quibus familiariter utitur, majorem partem secum sentire. Atqui ego loquebar, non de tacentibus, sed de loquentibus, seu scribentibus; quos tanquam mutos magistros consulere poteram. Qui autem & quam multi illi sint familiares ipsius, non indicat, ut statuere possimus, quot & quales sint, qui ipsi suffragentur. Certè, si Perkinso fides adhibenda, doctiores & saniores Theologi tunc aliter judicabant; ac illi sive plures sive pauci, sive obscuri, sive celebres, ad quos anno 1638. in tam miseranda reformatæ religionis, pietatis, disciplinæ in ecclesiis Anglicanis παρακμῇ, immo & corruptione, in tanta Bileamitarum frequentia ac licentia, provocat Gattakerus. De quo me quamvis extraneum historiarum in Scotia, & Anglia gestarum, Laden-
sium

sum Αὐλοκατάκρισις, aliique libri quamplurimi Anglicè scripti, omnes insuper literatos in Europa, qui Anglica non attingunt, unicus *Honorii Reggii commentarius de statu ecclesiæ Britannicæ* hodierno, abundè informare poterit? Ne quid dicam de anonymi historia rerum nuper in Scotia gestarum, latinè in 8. *Balmfordus libelli* sui anno 1623 editi *pag.* 28. affirmat se à multis eruditis ministris incitatum esse, ut causam suam, atque unà Martyris, Zwinglii, Cartwrighti, Danæi, Perkinsi, Fenneri &c. tueretur. Qui idem *pag.* 21. exhibet epistolam Eduardi Eltoni ad lectorem, quâ sententiæ illius defensionem approbat. Sed ex Theologis & scriptoribus Anglis opponitur Sereniss. & Literatiss. Rex Jacobus, *in dono regio lib.* 3. & duo Episcopi Babinghtonus, & Joh. Regius, Perkinsus itidem & Dunæus, qui sortis usum ludicrum peculiari libello tutatus est. Quod ad regem, fatemur illum, & illud, & alia nonnulla libro illi inspergere, quæ mater ipsius ecclesia Scotica, in qua & à qua in vera religione educatus erat, juxta cum aliis ecclesiis reformatis, per omnia non probaret. Conferatur regis præfatio monitoria apologiæ pro juramento fidelitatis præmissa; colloquium in aula Hamptoniensi; adhæc gesta in synodo

nodo Perthana anno 1618. proclamatio de sabbatho anno 1618. 24. Maii. Quidquid sit, cogitet Regis autoritati hac in parte minimè infallibili multò magis quam choro Theologorum, applicari posse verba, quibus præsens §. concluditur. *Cæterum ista de conspiratione tam ampla ad odium tantum & invidiam &c.* Aularum consuetudinem & in istis, & in aliis vanitatibus satis indulgentem, si non instar legis aut privilegii obtinentem, reformata religio vix expurgare potest. Ita à praxi ad theoriam, ab exercitio ad apologiam homines passim prolabi videas. Sed ne ego extraneus his me ingeram, Theologis Anglis & Scotis ad objectam regis autoritatem respondendi vices relinquo. Babingtoni & Joh. Regii seu Kingi libri nunc ad manum non sunt, quamvis istius olim ex parte legerim. Non mirarer, si viri illi ordini episcoporum tam familiare πάθος aleam scil. ipsi non planè deposuissent, saltem apertè non oppugnassent. Consuetudo enim quasi altera natura est; & ut difficile est demonachare Monachum, quamvis ad reformatam religionem traductum (uti observat magnus Theologus *Fr. Junius in tract. Gallico c. Charronum*) quidni de quibusdam episcopis quamvis religione reformatis tale quid præsumere, aut saltem dubi-

dubitare liceret? An eruditiſſimi illi viri ludos illos luſerint; & à praxi ad defenſionem eorundem devenerint, haud queo dicere. Indubium eſt ſub Papatu prælatorum aleas, luxus, & ſimiles vanitates ac delicias toto orbe cantatas fuiſſe, An & quomodo zelotæ hierarchiæ epiſcopalis in Anglia, Scotia, Hibernia de aleâ ſuſpecti fuerint, & hoc gnoriſmate inter alia à Puritanis diſtincti, præcipuè jam ab anno 1609. *ex præfatione Amesii ad Puritaniſmum Anglicanum* Francofurti an. 1610. latinè in officina Aubriana editum in 8o. haud obſcurè colligi poſſet. *Factorum & hiſtoriarum ſingularem camarinam hic non movebo.* Ad Perkinſi digniſſimi & celeberrimi Theologi teſtimonium reſpondeo, eum conceſſiſſe luſum chartarum, quod putaret ingenium & artem, non ſortem ibi locum habere. Sed in hac facti hiſtoria erravit, cum fatetur caſum quidem eſſe in foliorum diſtributione, non tamen ſortem. Contrarium docent nos ludi illius conſecranei, qui diſtributione chartarum, bonum aut malum, felicem aut infelicem ludum ſibi tribuere ſolent. *Peucerus* theſi 4. nobis citatus fatetur cognatum aliquod ſortitioni habere ludos teſſerarum, calculorum, taxillorum, aſtragalorum. Inter Caſuiſtas Pontificios *Antoninus*

ninus, & *Sylvester*, *ibid.cit.* insuper *Azorius tom*, 3. *lib.* 5. *cap.* 24. Basseus in voce *ludus* *Navarrus cap* 19. §. 7. ludos chartarum, & ad tabulas exsertè ad sortes referunt. Ex reformatis Theologis *J. L. de Baillieu* in *tract. gallico de honestis recreationibus* anno 1609. apud Portæum edito part. 2. *pa-„gin.* 167. Nihilominus, inquit, negari „ non potest, quin sors potiores partes hic „ obtineat: uti notum est eximiis lusoribus, „ qui coguntur victoriam adversario relin- „ quere, si jactus chartarum ipsis adverse- „ tur, cum quacumque scientia & industria „ remedium adferre nequeant. Jam verò, ubi „ sors dominatur, & regit eventus, non est magna ratio cur ludus talis ob industriam excusetur. Quin ipse Perkinsus in hac sua „ conjectura, seu dubitatione potius, quam determinatione, ex ignorantia facti oborta, optimè ex propriis explicari & corrigi potest: Ludi fortuiti definiuntur ab illo, in quibus *casus inest*, & *nostri respectu nil nisi cæca & anceps fortuna*, *ut vulgò loquuntur. Proinde illorum genus* τυχαῖον *vel* τυχικὸν *dicitur*, *quia in illis plus valet sors*, *quam ingenium*, *seu ars. Hujus generis est aleæ ludus*, *item certi quidam tesserarum & foliorum ludi.* Atqui chartarum distributio est actio merè fortuita, ubi hominis ingenium, ars, indu-

industria ad eventum nihil facit, nec distributionem huic ludioni prosperam, alteri diversam determinat. Ita ut Perkinsus ibidem negans *actum distributionis quamvis à casu pendentem, victoriæ dubiæ & ancipitis decisionem esse*, additâ hâc limitatione explicari ac corrigi debeat: inde victoriæ decisionem esse ex parte, non in totum, & ut plurimum, non semper. Quæ adhibenda distinctio ex ipsius divisione ludorum in artis, fortunæ, mixtos desumi potest. Mixti tum cum participent de utroque & artis & fortunæ, necessariò posteriori respectu, seu secundum illam partem casuales & fortuiti sunt, & consequenter idem de ipsis quod ad illam partem judicandum, quod de aliis fortuitis. Qui initio vanè aut absurdè loquitur, & postea sapienter usque ad finem sermonis, qui iter capessens primum aliquamdiu errat, postea tamen in viam rediens iter suum absolvit, qui cum carne incipit, & cum spiritu finit, nemini sermonem insipidum, tanquam sapientem, errorem, tanquam felicis itineris compendium, carnem tanquam spiritum commendare, & prius tanquam à posteriori transformatum, aut potius tanquam redditum infectum commendare debet. Breviter posterior pars ludi mixti non est semper, nec

poteſt eſſe elementum prædominans, nedum ut ſit tota ludi eſſentia & forma, & prius tantum accidens, quod ſalvo illo ludo poſſit abeſſe. Ipſe Gattakerus contra Ameſium §. 30. cum eodem concedit ludum taxillorum & pictarum chartarum ſorti accenſendum eſſe. Perkinſus ſic concludit: *Nihilominus etſi foliorum diſtributio, & ludi illi mixti ſortes non ſint, multo tamen melius & tutius fuerit, ab iis abſtinere, quam uti; Atque ubi abrogati & aboliti ſunt, haud quaquam in uſum revocari, & poſtliminio reſtitui debent.* Quid piiſſimus & ſolidiſſimus Theologus dixiſſet, ſi tanto æſtu contentionis & chartas & aleas ludicras publicis ſcriptis, & quidem cum indignâ obtrectatione ſymmiſtarum & traductione defendi vidiſſet. Non malè *Carolus Muſart* Jeſuita *in adoleſcente Academico part.* 3. *c.* 2. §. 4. graviter invectus in aleas, ſub ea comprehendi cenſet pictas chartas, *quas ſe non ferre dicit, parique ferè loco habendas arbitratur, atque aleas.* Qui ergò Perkinſum ad ſortes ludicras, quibus ex profeſſo adverſatur, obtorto collo trahunt; tantundem faciunt ac illi, qui Zwinglio Pelagianam opinionem de ſalute extra fidem Chriſti obtinenda impingunt, cum ille quibuſdam inter Gentiles ſalutem tribuerit, quod pu-

taret

taret illos verâ fide à Deo donatos fuisse. Ubi si in historiâ facti erravit, non tamen sententia Pelagii illi imponenda fuisset, à qua quam maximè alienus erat. Ut hoc ostensum à *Gualtero in apologià* Zwinglii operibus præmissâ. Cum quo conferri potest *Rivetus in psal.* 19. *Vossius lib.* 3. *histor. Pelag. part.* 3. §. 12. Et hactenus de Perkinso: videamus nunc, an Danæus aliique ad partes vocari possint. *Danæus*, inquit censor, *quem laudat iste, & quocum sentire se Taffinus, prout & ipse hic, profitetur, ludos mixtos, qui partim industria partim casu nituntur, non damnat.* Non sunt, *inquit*, prohibendi, *De aleâ cap.* 6. *Sed nec Petrus Martyr*, Concedi possunt, *inquit*, ad Judic. c. 14. *Assentiuntur è nostris*, Rex scilicet Jacobus, Babinghton, Kingus, Perkinsus, Danæus, ipse denique Calvinus; qui omnes tanquam sub generali vexillo aleæ, & patrono ejus militantes introducuntur. Calvinus inter alios tanquam exercitus hujus triarius agmen cum hoc insigni claudit. *Quod autoris istius thesi ex diametro adversatur*. De Danæo primum respondeo, illum nullo judicio & delectu (absit ut ipsum imitatus malam fidem insonem,) in hanc militiam adscribi, cum ex professo contra aleam peculiari *tract. an.* 1579. edito clarigaverit.

Lege ibi cap. 5. hæc verba : *Sunt autem ii* (ludi scilicet inconcessi, & à nobis rejiciendi) *in quibus tota victoriæ ratio pendet ab ipsa alea. Jam vero infiniti pænè ludi hoc genere continentur, imprimis autem chartarum sive foliorum, quæ vocantur, & talorum sive cuborum lusiones, quæ idcirco piis hominibus, sive iis locupletibus, sive tenuis fortunæ*, &c. *sive belli, sive pacis tempore interdici debebunt. Nam is ludus & eventus, qui alea nominatur, non tantum hominum legibus, sed etiam rationibus, quæ ex sacro-sancto Dei verbo sumuntur, apertissime damnatur. Galli quidem fere foliorum & talorum nominibus omne aleæ genus in ludo designant; plures tamen vetitæ istius lusionis & aleæ species esse, fuisseque jam olim apud veteres Julius Pollux* lib. 8. nomenclat cap. ult. *luculenter testatur.* Idem cap. 6. & in præfat. vocat hos ludos *facinora & scelera.* Judicet jam Lector à quâ parte stet Danæus. Sed dices eum *cap.* 6. distinguere ludos chartarum & talorum, *in quibus plus possit honesta animi industria, quam ipse aleæ eventus, adeò ut arte ipsâ corrigatur, quod pessime, contraque votum cecidit. Hi ludi propriè alea dici non debent, nec omnino prohibendi sunt.* Repono, Danæum, aut non intelligere eundem illum ludum chartarum

& a-

& alearum, quem toto tractatu, imprimis *cap.* 5. exterminandum contendit, quemque in Galliâ tam frequentem esse conqueritur: aut eundem intelligere. *Si istud,* jam παρορὰματι, quo sibi contradiceret, hoc tribuendum esset, non verò principalis ipsius thesis & intentio inde tollenda ac pervertenda esset. Aut dicendum, errare eum in facto; quod haud ita mirum, cum ipse ludos illos non exercuerit, nec ab aliis satis informatus fuerit de talibus aleæ & chartarum ludis, in quibus arte corrigi posset, quod pessimè cecidit. Quænam alea illa esset, fateor me ignorare; nec indicat Danæus. In chartarum ludo concedo, industriâ & arte aliquando juvari posse per peritum ludionem, cui sortitio chartarum infeliciter ceciderit, & cui cum imperitiori certamen sit: sed hoc est per accidens, & ex rarò contingentibus; cum ut plurimum (quod in practicis reducitur ad τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ) contrarium eveniat, si quis æqualem aut exercitatiorem ludionem nactus sit. Vide quæ modo reposuimus ad objectum testimonium Perkinsi, qui fortè ex lectione Danæi, distinctionem illam in ludo chartarum (non aleæ) hausit. *Sin illud,* jam causa aleatorum in Danæo nihil præsidii habet: loquitur enim ille de alliis, & tu de cæpis. Danæum autem

D 3 non

non intellexiſſe ludum chartarum apud Gallos uſitatum, vel inde conſtat, quod ex profeſſo integro libello eundem oppugnaverit, eumque exterminari voluerit: uti liquet ex præfatione ipſius, & ejuſdem poëmate, quod libello illi præmiſit. Verba ejus ſunt: *Viſum eſt &c. demonſtrare, quantum una ea res habeat ſceleris & periculi.* Hinc autem non excipi ab eo ludos chartarum in Galliâ, Belgio &c. uſitatos, colliges ex ejuſdem verſibus in aleam: *Sed valeant talique vagi, chartæque nocentes, Quæque alia incerto dant plurima damna rotatu.* Adde explicationem *Taſſini lib 2. de emendatione vitæ cap.* 19. ubi tit. capitis facit, *de ludis ſortis ſeu fortunæ, ut chartarum & aleæ*: & *ſect.* 6. ſpecialiter applicat chartis. Atqui ille procul dubio mentem Danæi ſatis perceperat, & ex illo coram audiverat, aut audiiſſe poterat; qui etiam *ſect.* 7. ad Danæum provocat,& bonam partem ſuæ diſſertationis ex eodem mutuaſſe ſe fatetur. Quod *ad Martyrem*, is *loco cit. ad Judic.* 14, non tam approbationem, quam conniventiam indicat. Hæc enim ejus verba: *Nec etiam ſtatim damnandus eſt, ſi quis dum ægrotat aut debilitatur eo genere ludi ſe recreet, quod à fortuna vel caſu pendeat.* Nam uſus ſortium, quem unicum

com-

comment. in 1 *Sam.* 10. & *loc, comm. cl.* 1. *cap.* 7. concedit ad ludos nullo modo extendi potest, Danæum hactenus non novi, nec unquam ejus scripta vidi. Illius libello pro aleâ, quem censura huc advocat, oppono libellum *Dudlei Fenner* eodem idiomate *de recreationibus editum*, reliquosque scriptores infra enumerandos. Accedamus nunc ad testimonium Calvini magni sanè Theologi, cujus salubrem in doctrina, moribus, disciplina ἀκρίβειαν utinam omnes alearum, chorearum, luxus in ornatu corporis, & similium vanitatum patroni hodiè imitarentur. Ex illius epist. 374. hæc verba citantur: *Aleæ & chartæ, quas vocant* ——, *non à nobis ita* (*prorsus*, quod omissum est) *damnarentur, si in eorum lusu, quod licet, locum haberet.* Quibus fidiculis hinc exprimas aleæ ludum, tanquam in casu conscientiæ licitum Calvino probari? Nam primo conditionalis, nihil ponit in esse. *Non ita* &c. *si quod licet*, &c. Nec antecedens, nec consequens affirmat. *Deinde*, in antecedente, non dicit simpliciter, non esse damnandas, aut non damnari: sed, *non à nobis ita* (nota) *prorsus damnarentur.* Quotidianæ incursationis peccata; ut verba otiosa, aut iræ, doloris, gaudii &c. subitæ, temerariæ, indecoræ commotiones, ad-

D 4 hæc

hæc vanitates in cultu corporis, incessu, sermone, &c. non ita semper damnantur, quamvis non probentur. Tolerantia ergò & conniventia circa vana aut otiosa ejusmodi inveterata aut consuetudine alicubi recepta magis locum habent, quam circa alia peccata. Ita ut ad minimum non ita damnentur, ut disciplinæ ecclesiasticę everriculo unà cum autoribus ex ecclesiis, præsertim novellis, aut in tali populo, tali rerum statu constitutis, exterminanda statuantur. Calvini mentem in his & similibus colligimus, ex epistola ad Vatellum Gallo-Monpelgardensis ecclesiæ ministrum, quærentem de variorum ludorum *permissione* (ecclesiasticâ & politicâ scil. non approbatione) cui
„ sic respondet: *Cupio moderationem te-*
„ *neri. Primum ne quæstus* &c. Leges ergò
„ ferendæ essent (à Magistratu scil.) &c. *quæ*
„ *vitia quantum fieri potest*, *coërcerent &c.*
Interea nostræ (ecclesiasticorum scil.) partes
„ sunt, animadvertere si quis tempus & se ac
„ sua consumat, ludendo: neque ferre disso-
„ lutam illam licentiam, quæ excommu-
„ nicatione castiganda est, auctore Paulo,
2 *Thessal.* 3. Vides, non loqui Calvinum, nec quærere Vatellum de approbatione rei in se spectatæ, an aliquo in casu unquam honestari possit; sed de conniventia, de to-

lerantia,

lerantia, aut non tolerantia, de adhibendo excommunicationis remedio in istâ ecclesiâ. Simile in casu tolerantiæ consilium suggerit iisdem in epistolâ ad Monpelgardenses (quæ est sub finem libri epistolarum)
„ De pulsu, inquit, campanarum & diebus
„ festis ita sentimus, *ferendas* (nota) po-
„ tius esse vobis has ineptias, quam statio-
„ nem in quâ estis à domino collocati, de-
„ serendam: *modo ne approbetis: modo*
„ *etiam liberum vobis sit reprehendere, quæ*
„ *inde sequentur superstitiones: atque in*
„ *eam rem diligenter incumbatis.* Velim à lectore totam Calvini epistolam *cit.* ad ministros N. N. (quæ in meâ editione Genevensi Anno 1617. in fol. est 339.) percurri: ut de mente & scopo Calvini rectius judicare possit. Hic saltem exhibeo integrum contextum de aleâ. Sunt, inquit *pag.* 470. aliæ
„ corruptelæ, quæ eò etiam accedunt. A-
„ leæ enim & quas Chartas vocant, ut ad su-
„ perstitiones non pertinuerint, sed alio-
„ rum vitiorum fuerint instrumenta, mul-
„ tum quoque damni & malorum passim
„ intulerunt. Ac quod ad istiusmodi lusus
„ attinet, non ita prorsus à nobis damna-
„ rentur, si in eorum usu, quod licet, lo-
„ cum haberet: sed ubinam extat illa so-
„ brietas? Primum non est aliud uspiam

„ quod ita homines quasi visco impediat, „ adeò ut totos eorum sensus occupet, non „ secus ac fascino correptos. Sed quemad- „ modum qui illis assueverunt, non ita „ possunt illis vale-dicere : ita etiam qui „ pedem aliquantum retulerit, illa omnia „ fastidiet. Porrò qui sese ita iis rebus de- „ dunt, atque ita insanire pergunt, inci- „ dunt in multas molestias. Notum est, „ vix unquam lusus effluere sine blasphe- „ miis, fraudibus, atque excandescentia : „ quot etiam familiæ inde accisæ ? Nemo „ enim tenet modum, quin sese exhauriat, „ aut sensim ipse consumat. Maximè ubi „ de lucrando agitur, fieri vix potest, quin „ Deus ipse lædatur aliquo modo. Quare „ magnoperè expedit ab illis esse alienos, „ quantum fieri potest. Optimum verò absti- „ nere prorsus. Atque hæc apologia Calvini pro aleâ, seu sorte, præsenti pro eâdem contentioni longè dissimilis. Judicet nunc Lector, quo jure exclamet : *Quod autoris istius thesi isti ex diametro adversatur.* Confer Calvinum se satis explicantem ; a-nacr. 9.

§. *Cæterum ista de conspiratione tam ampla ad odium &c.*) Temerarium & iniquum censoris judicium. Nullo alio fine à me in hâc, aliisque similibus quæstioni-

bus

bus practicis consensus antiquorum & reformatorum adduci solet, quam ut vulgares hominum mundo & carni hâc in parte indulgentium exceptiones retundantur. *Quarum prior*: scil. supra alios solus sapis: „ tu nimis justus, ἀκριβὴς, præcisus, „ rigidus, severus exactor: tu nescio „ quæ peregrina, & nova auribus nostris „ infers. *Posterior est*: Hæc tua quidem „ sententia: sunt qui aliter sentiunt, non „ minus in sacris eruditi ac tu. Utri, aut utris „ potius credam? Variant enim Theologorum „ sententiæ (quamvis pro sequiori parte „ unum fortè aut alterum tantum invenerint) „ & consequenter, adhuc sub judice „ lis est; nec à quoquam publicè pro concione „ aut privatâ institutione ac monitione „ hic determinandum, & libertati atque „ ἀδιαφορίᾳ quidquam præjudicandum. „ Similes exceptiones quamplurimis erroribus, & vitiis obtendi possent: ex. gr. usui mendacii, quod unus atque alter ex antiquis, & *Musculus* ex reformatis (*comment. in Joh.* 8.) licitum facit, *Bucerus* condemnare non audet, *Albericus Gentilis* J. C. Oxoniensis *peculiari tractatu* defendit. Quæ censor in fine hujus censuræ rhetoricatur, *de causa per se nutante*, &c. *rationibus audiendis*, &c. *scripturarum*

 auto-

autoritatibus &c. ad meros atque otiosos λόγυς relegamus. Scripturarum autoritates & rationes pro hac Helena in tota censura nullas hactenus invenio. Idem audio conqueri eruditum hyperaspistem Amesii. Nihilne ergò egit. Nihil aliud, quam quod nihil agendo malè egit: methodo malarum causarum patronis (nominatim Socino) usitatâ strenuè negando, quidquid rationum adfertur, aut infirmis exceptionibus admordendo, & quæsitis παρέργοις ac περιέργοις, quasi addito commentario, chartas implendo.

GISB. VOETII.

Rationes nostræ sunt. Primo, quia Sors ex se est medium explorandi providentiam & judicium divinum. & quia a providentiâ Dei immediatâ quasi omne judicium ac eventus Sortium dependet. Proverb. 16. v. 33. *Ut ibi exponunt & observant Commentatores. Vide* Mercerum, Lavaterum, Corn. à Lapide, *& ex Judæis* R. Aben Ezram. *Atqui irreverentia est per ludum & jocum, ac tantum fallendi temporis causâ, Dei sui judicium explorare.*

THOM. GATHAKERI.

Liberaliter sanè nobiscum agit Voetius, ad Menonis instar Platonici, Rationes pollicitus, pro una duas suppeditat. Verum

una

una probè fundata duabus istis proponderasset.

1. *Sortem esse ex se medium explorandi providentiam & judicium divinum*; affirmatur, non probatur, quasi *Pythagoricum illud*, Αὐτὸς ἔφα, sufficeret. Fuisse extra ordinem aliquando, conceditur: esse negatur. Siquidem *Privilegia singulorum non possunt legem facere communem*; ut rectè hâc ipsâ de re Hieronymus in *Jon. c.* 1. sive ut Hugo *ibidem. Privilegia paucorum communem legem non faciunt*.

2. *A Dei providentiâ immediatâ* (nam *quasi* illud quid faciat istic ego non assequor, nisi forsan contra se velit, modo quodam nescio quo, non autem propriè loquendo) *omne judicium & eventum sortium dependere*; nec hoc probatur: & improbat etjam, quem secutus vult videri, Amesius, ab eâ statione rationis ineluctabilis vi depulsus. Neutrum affirmat Solomon, prout fusissimè ostendi *Tract. de Sort. c.* 1. § 3. Neutrum planè eorum quisquam, quos hic advocat, Autorum. Pontificium illum solum, quem penes me non habeo, exceptum velim. de quo etiam suspicionem non immeritò moveat, quod eum Sortes ludicras probare paulo superius relatum est.

Sed reliquos audiamus. Mercerus : *Docet hic versiculus, quædam putari fortuita, quæ tamen à Domino temperentur, regantur, disponantur : itaque ex Domini providentia in omnibus pendendum.* Ergò ne in omnibus immediata Dei providentia intervenit, quia à Dei providentia pendendum in omnibus ? & à lusus ratione res omnes seclusæ consistent, quia divina ad res omnes pertingit providentia ? Quid Lavaterus ? *Hæc gnome primo aspectu leviscula videtur. Sed si quis diligenter eam expendat & evolvat, videbit rem maximi momenti continere ; nempè quod universa & singula, illa etiam quæ vulgo temerè accidere putamus, Dei arcanâ providentiâ gubernantur.* Tum post dissertationem de variis Sortium generibus, concludit tandem : *Colligimus ex hac sententiâ, Primum errare Ethnicos & alios, qui cæcam Fortunam, quam Deum fecerunt, atque casum omnia temerè sursum & deorsum agitare opinantur. —— Errant etiam illi, qui magna tantum providentiæ divinæ subjiciunt. Nihil enim eximi debet à gubernatione Dei; nam si Sortes non temere jaciuntur, sed à Deo gubernantur, nihil certe est quod Deus non gubernet, etiam illa, quæ nobis fortuita, quæque in mundo. tanquam pelago,*

lago, jactari & fluctuare videntur, à numine reguntur. An non Lavaterus planè Merceri vestigiis insistit? De judicio divino per Sortes explorando, deque immediata, quæ sortes regat, providentiâ, neutrobique apex ullus. Sed in medium prodeat Esdræ filius; ut quid is istic, ad autoris causam quod faciat, eloquatur, audiamus: testimonium ab illo, forsan luculentissimum habituri, qui ideo ad agmen claudendum constitutus videtur. At ille more Rabbinico non insolenter nugatus, versiculum istum cum præcedente sic committit: *Quemadmodum Sors in sinum conjicitur, & à Jehova judicium est, quo modo casura sit: sic à nomine* (i. numine divino) *est, quis dominaturus sit spiritui suo. Quam bellè advocantis causam ista juvent, quivis viderit. Fide certè meliore versatum oportuit in testimoniis corrogandis.*

ANACRISIS V.

§. *Liberaliter sanè nobiscum agit &c. ad Menonis instar &c.*] Ubique mycterismos, insultationes, sarcasmos, & similes styli delicias, consectatur, & loco rationum τὰ πάθη atque amplificationes liberaliter promit; an τὰ ἤθη pari passu cum iis ambulent, judicent Oratores Christiani. Sed videamus quàm acutè & concinnè punctiunculas illas

las intulerit. *Rationes*, inquit, *pollicitus, pro una duas suppeditat.*

Resp. Si velit duas priores rationes in unam contrahi, per me licet: nihil inde causæ decedet. Vel una solida demonstratio sufficit. Ipsius rethoricationes potius omitti, quam in pauciores contrahi potuissent.

§. *Affirmatur non probatur, quasi Pythagoricum illud &c.*] Immo probatur ex *Proverb.* 16. & 18. coll. cum *Actor.* 1. & 1. *Paralip.* 24. *v.* 5. Unde hæc necessariò colliguntur 1. Homines sorti rem committentes contrahere, & consentire. ut eventu & casu sortis, hoc est, absque arte, industriâ, & judicii humani determinatione, dubium & controversum determinetur. 2. Illum eventum seu casum sortis esse à providentiâ, & judicio divino: non verò à cœca fortuna, aut cœlo, aut diabolo, aut homine. 3. Contrahentes & sortientes respicere, saltem respicere debere judicium & providentiam Dei, & ab ea determinationem exspectare: sequestratis omni suo judicio, operâ, arte, industriâ; à qua hoc exspectare non poterant. 4. Consequenter exspectando inde & non aliunde eventum ac casum, in partem illam, quam Deus voluntate suâ decrevit, sortitionem adhibere, tanquam

tanquam medium, sortitionem scilicet, ad illum finem; qui est ambigui aut controversi per casum sortis determinatio. An alii centenas quaestiones & conscientiae casus per solidiores & evidentiores consequentias demonstrare poterunt? An verò ex lege novae methodi, seu μεθοδείας, conclusiones absque ratiocinatione & nexu consequentiarum, aut etiam praemissae cum regulis consequentiarum, expressis scripturae verbis exhibendae erunt?

§. *A Dei providentia immediata &c. omne judicium & eventum sortium dependere, nec hoc probatur &c.*] *Resp.* 1. Omne judicium & eventum sortium dependere à providentia Dei peculiari & immediata, hactenus probavit consensus Doctorum ex *Proverb. 16 v. 33. Sors in sinum projicitur.* Hic providentia Dei communis & mediata locum habet: quia hic agit causa secunda, tum moraliter consentiendo, contrahendo, voluntariè decernendo sortitionem: tum physicè, tanquam causa propria particularis, & proxima, sortes projiciendo. *Omne seu totum ejus judicium à Domino*: hìc sola agit causa prima, & quidem immediatè ac proximè: nulla enim utitur causâ secundâ ad casum ex. gr. in istam partem, & non in alteram; sicuti utitur causâ secundâ ad

con

consensum & decretum de sortitione, & ad physicum motum seu projectionem sortis. Utrobique enim actus ille producitur à causâ secundâ tanquam propriâ & particulari cum & sub causæ primæ præcursu & concursu. Est ergò in consensu & contractu de sortitione, & in actu projectionis sortis providentia Dei mediata. Sed in eventu & casu sortis in hanc aut in illam partem est providentiæ actus immediatus : quia nulla causa secunda intercedit, nec quidquam agit, nec Deus eâ utitur : sicuti in aliis humanis judiciis, electionibus, divisionibus, quorum eventus & determinatio pendet à liberis hominum suffragiis tanquam causâ proximâ, quâ positâ ponitur ablatâ aufertur. Tyrones cum elementis locorum communium ex modo agendi distinguunt providentiam in mediatam & in immediatam. Vide *Theses Francisci Junii, Parei, Leidenses An.* 1605. *Locos communes Amesii, Tileni, Wendelini, Alstedii, Danæi, Altingii, Scharpii.* Sed dicat quis vocem hanc *providentiæ immediatæ* à citatis Theologis sic non explicari : cui respondeo, in genere eam sic explicari, ut notet effectum gubernationis divinæ, ad quem non concurrit medium seu ministerium causæ secundæ. Et ad talem descriptionem,
non

non ineptè reduci putamus eventum & divinam projectæ sortis determinationem; Et sic dicta nostrorum commode explicari posse: modo absit studium contentionis, & suscepti patrocinii alearis præjudicium. Daneus in libello de alea cap. 9. dicit in *sortibus singulare providentiæ Dei argumentum inesse* &c. *Deum tanquam extraordinarium rei gerendæ arbitrum & moderatorem intervenire* &c. Ejus *extraordinariam potentiam & providentiam tentari*, si sortes leviter proponantur. Alii, sic & Amesius (in Medulla & Casibus) vocat providentiam *specialem*, *singularem*, *extraordinariam*. Davenantius comment in Coloss. 1. *v.* 12. κατ' ἐξοχὴν vocat *divinam providentiam*, per quam quid *donatur*, juxta *Proverb.* 16. 33. *Augustinus de Genesi ad lit. lib.* 10. *c.* 18. itidem κατ' ἐξοχὴν dicit *divinitus dari*, quæ forte dantur, Hugo Cardinalis *in Luc.* 23. vocat *occultum Dei judicium*: opposite scilicet ad judicia & determinationes manifestas, quas Deus per hominum libera suffragia exequitur. *Beda in comment. ad Prov.* 16. (qui exstant sub nomine Hieronymi,) vocat *divinum judicium*: quia excluditur hic omne judicium humanum. Quod *Ambrosius in comment. ad Luc.* 1. 9. expressè excludit: *Qui sorte legitur*

legitur, humano judicio non comprehenditur. Et Augustinus epist. 180. *Melius enim Deus in ejusmodi ambagibus, quam homines, judicant.* Idem in Psal. 30. *In sorte non est electio, sed voluntas Dei.* Fr. Junius *comment. in Jonæ* 1. decisionem dubii fieri ait, *autoritate Dei per religionem sortis*: & exserte ibi distinguit à decisione per judicium humanum. Idem in notis ad suam translationem ex Arabico *Actor.* 1. demonstrat: *nimirum sorte, quæ est à Domino, & sine humano ullo judicio regitur*, Prov. 16.33. Perkinsus in Armilla cap. 22. dicit sortes *immediatè à Deo disponi*, Cartwrightus comm. in Proverb. 18. hoc respectu appellat *sortem Dei mundi judicis quasi vicarium.* Et in cap 16. per sortem *Deus ipse in judicio sedet.* Et tamen dicitur stare & esse in judicio, ubi homines judicant, *Ps.* 82. 2 *Paral.* 19. Episcopus Downamus in tabulis decalogi. dicit in sortitione ad *immediatam Dei providentiam* provocari. Tilenus in syntag. part. 1. cap. 42. eam legitimæ sortis conditionem facit, si eas à *Deo gubernari persuasum habeamus.* Paulo ante dixerat, per eas *divinæ providentiæ experimentum capi.* Deodatus in notis ad Biblia Italica, *Prov.* 16. 33. Vocat peculiariter *Dei providentiam*, per quam *omnem*

mnem eventum sortis dirigit &c. *quæ est tanquam suprema judicis sententia.* Teellingius, & cum eo Theologi Leidenses & Franequerani libri Teellingiani approbatores, in Necessar. Demonstrat, vocant *providentiam Dei.* Glossa juris canonici ad *c. quod autem 26. qu. 2.* vocat *divinum auxilium.* Ex omnibus allatis constat, quod & quo sensu autores citati affirment, immediatum, hoc est, solum providentiæ divinæ actum in casu seu eventu sortis, & per eum decisione ac judicio, de rebus dubiis absque ullo adhibito aut concurrente judicio aut consilio humano. Quod si alicui tantus logomachiæ & pseudocriticæ amor, ut ne nunc quidem acquiescere posset, is ergò apertè antithesin defendendam suscipiat, „quæ talis erit: Sors, quod ad casum & „eventum suum pendet & procedit à me„diata Dei providentia, agente & deter„minante ibi per causas secundas, quippe „quæ actu suo cum actu causæ secundæ „concurrente non minus ac in judiciis hu„manis, effectum illum producunt. Quod „si portentum hoc ostentare non ausit (uti „neminem ausurum confido) desinat ergo veritati tam manifestæ & palpabili ultra obstrepere. Ut tamen τὸ *immediatum* nostrorum magis intelligant alearum patroni, velim

velim recordentur, ab *Augustino in ps.* 30. *Hugone Cardinale in Luc.* 23. *Primasio, Anselmo, Thoma, Carthusiano, Cajetano, Calvino, Rolloco, Davenantio in Coloss.* 1. hæreditatem vitæ æternæ, quam ex gratia secundum electionem Dei consequimur per sortem metaphoricè designari, quod mediis consilii & meriti humani illius exclusis, à sola gratia nobis obtingat; quomodo eventus sortis ab unica Dei dispositione; sine ullius causæ secundæ interventu aut operatione. Porro independentia illius eventus ab hominibus, & immediata dependentia à sola Dei providentia ex *Proverb.* 16. 33. communi consensu hactenus probata est: nec video in tota hac censura ullam contra hoc argumentum, exceptionem. Telum unum atque alterum, quod instar Parthi fugientis à tergo jaculari videtur, ita à viro erudito exceptum scio, ut posthac alearum patronos, si sapiant, quieturos arbitrer. Quo præstito, præterimus, quod *in tract. Anglico de sorte cap.* 1. fusissimè se ostendisse gloriatur. Nihil repono, nisi celebratum illud: ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα.

§. *Quasi illud quid faciat istic ego non assequor &c. nisi contra se velit.* Rursum quæsita cavillatio & ἀδολεσχία. Quidquid zelus

lus & præjudicium aleare assequi nequeant, est tamen vel ἁπλῶς δῆλον, rectè, *quasi*, aut *tanquam*, aut *suo modo*, aut *certo aliquo respectu* immediatam dici providentiam, comparatè scilicet ad eam, quæ medio ut causâ particulari, propriâ & proximâ ad eventum, & determinationem utitur: quia alioquin absolutè & simpliciter omnis providentia Dei est immediata, quippe quæ operatur in & cum causis secundis immediatè, immediatione virtutis & suppositi. Sicuti & in omni humano judicio divinæ providentię ordinatio agnoscitur: sed non illa peculiaris, quæ sortis eventum immediatè dirigit, & judicium terminat. Sed solus non est censor, qui in Theologiæ accurandis conceptibus, quamvis in aliis eruditus, defecerit: quales, cum ex proprio cerebro dictare & temerè in alios involare occeperint, in ipsa Theologiæ elementa subinde impingere videas.

§. *Et improbat etiam, quem secutus vult videri Amesius &c.*] Verba Amesii exhibere debuisset qui Crisi primâ mihi exprobrat, quod verba Amesii non citarim; aut saltem locum indicare, ubi Amesius *providentiam immediatam*, sensu meo & autorum modo cit. acceptam improbet. Ego ipsius nimium festinantis, ut scriptoriam illam dieculam combureret, affirmationi non teneor credere.

§ *Neu-*

§. *Neutrum affirmat Salomo.*] Omne judicium & eventum sortium à Deo dependere, & quidem ab immediato Dei actu, liquidò affirmat. De posteriori membro, de *immediato* scil. jam dictum est: quia ratio sortis, quod ad eventum & determinationem, excludit omne consilium, omnem hominum causalitatem, & operationem. Homo tantum ex pacto in sinum projicit: sed solus Deus disponit & determinat ejus casum, ut tale aut tale quid huic adjudicetur, & alteri abjudicetur. Hoc respectu admittimus hic τὸ *immediatum*: quia medium omne creaturale, per quod ille eventus, & per illum eventum adjudicatio alicujus rei produceretur, absolutè hic excluditur. *Prius membrum*, de dependentia omnis judicii & eventus sortium à Deo, nimis manifestè à Salomone asseritur, & in exemplo *Actor.* 1. elucet. Textus originalis ab omnibus interpretibus ita accipitur, & transfertur. *Jun. in edit. postrema*: *autem est à Jehova tota ratio ejus. Davenantius in Coloss.* 1. citat & probat Tremellii versionem: *à Jehova autem est ratio ejus.* Quæ ex priori aliqua editione procul dubio exhibentur. Leo Judæ in versione Tigurina: *At omne judicium earum pendet à Domino.* Quam Vatablus probat. Versionem

sionem Tigurinam, non tantum recudi curavit Vatablus Parisiis Anno 1545. sed & Salmanticenses in Hispania, & Lugdunenses in Galliâ. Munsterus : *Et à Domino est totum judicium ejus.* Castellio : *sed à Jova est totum ejus judicium.* Pagninus & Montanus : *à Domino omne judicium ejus.* Versio Germanica Lutheri : Aber es fellet wie der Herr will. Cum qua facit antiqua Belgica. Nova vero sic habet. **Het geheel beleyt daer van is van den Heere.** In margine : aliter. **Het geheel oordeel des selven.** Gallica: *Mais tout ce, qui en doit advenir, est de par l'Eternel.* Anglica : *But the whole disposingh thereof is of the lord.* Italica Deodati : *Ma dal signore e tutto'l giudicio di essa.* Italica Antonii Brucioli : pro *tutto* habet *ogni giudicio.* Latina vulgata : *sed à Domino temperantur.* Ubi Joh. Benedictus in margine adscribit : *est totum judicium ejus.* Joh. Mariana in scholiis : *Quod ipsa decernit à Deo est, non temerè accidit.* Corn. à Lapide in comment. *Deus occultâ suâ æquitate eas disponit & temperat, ac cuique suam attribuit.* Ibid. *Significat hoc Salomon, sortes præ reliquis rebus naturalibus certis & definitis subjacere peculiari curæ Dei, Deumque sortes peculiari providentiâ regere & disponere, intra terminos*

tamen providentiæ ordinariæ. Ratio est, quia causa prima debet supplere defectum secundarum. Ibid. *Fortuiti ergò successus & sortium casus peculiariter Deo ejusque providentiæ adscribenda sunt.* Ibid. *Quare significat hic Salomon in rebus fortuitis recurrendum esse ad Deum, illiusque opem assiduò implorandam, ut ipse eas regat & dirigat ad suam gloriam, nostrumque bonum. Multæ enim res sunt, quæ non nisi sorte transigi queunt, uti sunt divisiones hæreditatum, præmiorum, officiorum, beneficiorum, cum æque digni illa ambiunt. Sic S. Augustinus epist.* 180 *&c.* Atqui hic autor est Pontificius quem censor se non inspexisse fatetur, Cartwhrigtus *in commentar. ad Prov.* 16. quin totus noster sit, nullus aleæ patronus negabit. Verba ejus infra *anacr.* 9. exhibemus. Quid ad reliquos autores à me cit. excipiat §. sequenti expendetur.

§. *Neutrum planè eorum quisquam, quos hic advocat autorum &c,*] Merceri verbis citatis, sic excipit: *Ergone in omnibus immediata Dei providentia intervenit, quia à Dei providentia pendendum in omnibus? & à lusus ratione res omnes seclusæ consistent, quia divina ad res omnes pertingit providentia? Resp.* 1, Ut peculiari ratione &

imme-

immediato modo operatur divina providentia in dispositione sortium, quas homines jaciunt: ita respicienda est peculiariter ut tali modo operans, & ab ea pendendum, ab ea eventus exspectandus, in ejus judicio & determinatione acquiescendum: non ab aut in idolo fortunæ, aut modo quodam metaphysico, qui *contingentia* dicitur, aut diabolo, aut quocumque phantasmate chimærico, aut ente rationis, aut aliquo nihilo, seu non ente: quasi nihil aliquem realem effectum producat & operetur, quem nulla humana potentia & ars operari potest, & quasi ἀοριστον & indeterminatum in se, seipsum aut aliud quid præter se determinare queat. Evolvant aleatores cum patronis suis hæc ænigmata. *Resp.* 2. Merceri verba si non truncasset, haberet lector citatorum genuinam explicationem, & censor nullam exceptionis speciem ostentare potuisset. Lege ergò hæc verba immediatè sequentia: *Itaque ex domini providentia in omnibus pendendum: ut si in sortibus pars nobis opima, aut secus evenerit, id acceptum Domino, non casui vel fortunæ cum vulgo feramus. Sortium usus in dividendis hæreditatibus fuit &c.*) Vides jam quomodo specialis quædam seu peculiaris Dei providentia versetur circa sortes divisorias,
 & ad

& ad eam ſpecialiter ſit reſpiciendum, ab ejus diſpenſatione pendendum, in ejus determinatione, tanquam immediato divino judicio nobis quid adjudicante, aut abjudicante acquieſcendum. Quod cum Mercerus haud obſcurè innuat, non video, quomodo ſortitio mente illius ad ludos ritè adhiberi queat. Sed inſtabit forte quis pro cenſura: In omni ludo licito artis, vel induſtriæ humanæ, in omnibus negotiis etiam viliſſimis & minimis, operatur & ſpectatur vis atque efficacia providentiæ divinæ: ideo tamen à ludis, & negotiis illis, non eſt abſtinendum. Replico operari & ſpectari providentiam Dei in ſortibus aliquo peculiari modo; ut ex pacto omne judicium, omnis opera humana quieſcat, & ſoli actui providentiæ divinæ deferatur judicium de re dubia per diſpoſitionem ſortis, & ab illo ſolo tota controverſiæ terminatio ſuſpendatur atque exſpectetur. Tali ſpeciali modo providentia divina in aliis ludis (extra controverſiam licitis) & quibuſvis negotiis neutiquam operatur aut ſpectatur. Non valet ergò conſequentia à genere ad ſpeciem affirmatè, quæ ex. gr. ſic proce-
„ deret. Providentia divina quæ commu-
„ niter circa quaſvis actiones naturales &
„ humanas verſatur & ſpectatur, non ex-
„ cludit,

„ cludit omnes ludos & jocos : Ergò
„ providentia divina quæ peculiari quâ-
„ dam ratione & modo disponit ac deter-
„ minat in sortitione, & cujus dispositio,
„ determinatio, judicium peculiariter illis
„ spectatur, exspectatur, postulatur, sive
„ explicitè, sive implicitè, sive verbis,
„ sive re ipsâ, ad quod provocatur, & cui
„ totum ac peremtorium judicium defer-
„ tur ; Ergò, inquam, specialis istiusmodi
„ providentia, non excludit omnes
„ ludos & jocos. Inconsequens hujus consequentiæ.
cui præsumta & absurdissima
censoris deductio ad absurdum innititur, ad
oculum patebit, si quis ex providentia communiter
in omnibus rebus, etiam levissimis,
operante colligeret : ergò singularis
seu specialis providentia Dei, quæ operatur
& spectatur in confirmatione veritatis
per juramentum, in confirmatione veritatis
salutaris per verbi & sacramentorum exercitia,
non excludit ab illis rebus & actionibus
omnes ludos & jocos.

§. *An non Lavaterus planè Merceri &c. de judicio divino per sortes &c. utrobique apex nullus.*] In Mercero aliquem esse apicem, vidisset lector, siquidem censori placuisset verba illa exhibere, quæ nos supplevimus, & cum commentar. ejusdem *in*

Jonæ 1. conferre : *Sors per se mala non est, quippe cum à Domino temperetur,* Prov. 16. *& ad componendas vel gravissimas lites plurimum valeat, &c. nec enim passim nec temere sortibus utendum.* De Lavatero ergo nihil ultra dicendum esset, quandoquidem judice censore, plane Merceri vestigiis insistit : ita ut qui utrumvis nôrit, ambos noverit. Ex abundanti tamen ostendamus, quam feliciter in autoribus citandis censura versetur. Lavaterus in omni sortitione agnoscit hominum *explorare, investigare, exquirere* : illis enim phrasibus, in tota illa dissertatione utitur : Et res ipsa loquitur, per sortis casum alicujus rei determinationem quæri. Post allatam divisionem sortium in licitas & illicitas, licitis divisoriis *inquiri*, dicit, *ad quem pertineat res dividenda, ut hæreditas, præda bello parta, & similia.* Quod postea etiam extendit ad electionem Magistratuum; distributionem provinciarum, pœnarum &c. Habes jam exquiri & explorari aliquid, sed quæres à quo? respondebo tibi ex sensu totius Christianismi, & Lavateri, à solo Deo; ab illo enim *eas gubernari*, exsertè docet Lavaterus verbis à censore citatis. Addo immediatè à Deo gubernari quod ad casum sortis, ex sensu Lavateri, & totius Christianismi;

stianismi; qui cœcam fortunam, astra, fatuum Stoicorum fatum, duos Deos Manichæorum, atomos Democriti, Æonas Valentini, numeros Pythagoræ, & similia hominum figmenta, diabolum insuper, omnemque humanam artem atque operam hinc excludunt. Aut ex illis aliquod, aut ex aliis indicetur medium, cujus respectu dici posset providentia mediata, aut si hoc fieri nequeat, dicatur providentia immediata. Conferatur *Lavaterus in* 1. *Paralip.* 27. *in Proverb.* 18. & *homil.* 38. *in Nehemiam* infra *anacris.* 9. cit. Tantum hic exhibeo verba ipsius ad Proverb 18. vers 18. *Nam homines quantumvis vehementibus ingeniis decreto sortis acquiescunt, qualiscunque sit. Pii sciunt sortes divinitus gubernari, atque ex justissima, ac sapientissima Dei voluntate dependere, quid quisque accipiat: illis igitur, quæ sortibus acquiruntur, contenti sunt: Alii quoque non accusant proximum suum, sed fortunam potius.* Quid magis apertè dici posset pro dependentia omnis judicii & eventus sortium à Dei providentia, & quidem sola, hoc est immediata, immediato quodam modo operante ac determinante. Hoc, inquit, pios scire, & in hoc decreto acquiescere. Impios vero, fortunam respicere. A-

leatorum non paucos, quamvis nomine Christianos, ὅμοια πάσχειν, vix dubito.

§. *Sed in medium prodeat Esdræ filius* &c. *quam bellè advocantis causam &c.*] Rursum mycterismos & satyras captat, verbis otiosis chartas conscribillans. Dixeram secundum R. Aben Ezram, & reliquos commentatores *in Prov.* 16. omnem eventum & judicium sortium à Dei providentia immediata quasi dependere. Quid ad hæc censor? *Ille more Rabbinico non insolenter nugatus versiculum illum cum præcedente sic committit.* Dic jam posthume de tribus capellis. Quid illa apud R. Aben Ezram conjunctio versuum tuæ causæ prodest, meæ obest? An non verbis Aben Ezræ à te exhibitis asseritur, sortis judicium à Jehova (solo scil.) esse, quomodo casura sit? Et si à Jehova solo, non ab homine, an inde malè providentia immediata à me colligitur, & dicitur? Quidquid obstrepitur, nodus in scirpo quæritur, & λόγοι ac λῆροι multiplicantur.

§. *Fide certe meliore versatum oportuit in testimoniis corrogandis*] Possem reponere, Tecum habita, & à te incipe. Per totam hanc censuram his telis in me immerito emissis se induit. Provoco ad lectorum judicium. Nolo tamen malam fidem illi

impu-

imputare. Potuit enim ἀκρισία, aut nimia festinatio, aut immoderatum causæ hujus studium, calamitati huic causam dedisse.

GISB. VOETII.

Secundò, quia qui sortes ducit, si non explicitè, saltem implicitè rem suam committit superiori causæ quàm naturæ aut arti, at ea nulla est nisi Deus: nam ut Christianus ab idolo Fortunæ, aut à Diabolo felicem eventum expectet, vix credendum est: Atqui coram Deo suo tam prope versari, ad illum judiciumque ejus ire, cum alia media deficiunt, absque timore & tremore non convenit; saltem non convenit ludibundos in tantâ re versari. Hoc repugnaret reverentiæ & timori Dei. Jesa. 66. 2. & 8. 13.

THOM. GATAKERI.

Ratio ista *ab Amesio est emendicata, apud quem*, cum jam olim in *Tract. de Sort. edit.* 2. c 4. §. 1. tum & *Antithes.* istius part. 1. §. 10. jam denuo eidem satisfactum est. Propositionem, quæ nec probabilitatis speciem præ se fert, probare ne conatur quidem, sed proponit tantum, tanquam oraculi vicem recipiendam: nam quæ ad rationis clausulam subnectuntur, Scripturæ loca, *ad pompam sanè, non ad pugnam faciunt; nec argumenti ipsius aut cor, aut ca-*

put, aut caudam etiam attingunt. Ut ne *adjiciam, quam fatuæ & ridendæ planè superstitionis sit ad sortem divisoriam, de reculis quibusdam, quæ in commune sint coemptæ*, diribendis, cum timore ac tremore accedere. Insignis certè Scripturæ sacræ abusus est, ad sortem istiusmodi ea trahere, vel obtorto potius collo cogere, quæ de Dei verbo, vel objurgatorio vel comminatorio, cum timore ac tremore excipiendo dicuntur.

ANACRISIS VI.

§. *Ratio ista ab Amesio est emendicata &c. jam denuo eidem satisfactum est.*] Simul & semel rhetoricationum & dicteriorum suorum lêcythos videtur voluisse effundere. Cui bonæ rei verba hæc otiosa? Cur non ex Danæo, aliove Theologo, æque depromptam conjecit. Sed perinde ex quo sit, aut non sit, modo ad veritatis & bonæ conscientiæ studium quid conferat. Non sum ego ex eorum numero, qui ad benè dicta fastidiunt, quia scil. ab aliis jam dicta sunt. Mihi stat illud, Via trita, Via tuta, Inventa & bene dicta aliorum mea facio, cum meo judicio expendo, & ex præformatis per alios, inde proprios conceptus formare disco. Cum censor, præceptoris nostri Gomari disputationem de justitia

Christi

Christi activa, & Balmfordi libellum de sortibus ludicris, & Pfochenii diatriben de linguae N. T. puritate oppugnaret, aliosque libellos conscriberet, non puto omnia ante indicta, tunc ipsi dicta fuisse. Quis propterea emendicata diceret? Sed valeant haec teretismata. *Resp.* 2. Quomodo Amesio satisfactum sit, ostendit eruditus Amesii in hac causa vindex. Rursum censori occinere possem, ἴδε ῥόδος, ἴδε πήδημα.

§. *Propositionem quae nec probabilitatis speciem praefefert &c. sed proponit tantum, tanquam oraculi vicem recipiendum, &c.*] *Resp.* Si methodum Logicae analyseos in expositione scripturae & bonorum autorum observandam adhibuisset, vidisset procul dubio probationem, aut saltem probationis conatum. Sed ut vel tyrones videant probationem in forma, en tibi ex verbis meis edolatam. Quicunque Christianus coram Deo suo tam propè versatur, ut ad eum judiciumque ejus eat (aliis mediis deficientibus) illique rem suam si non explicitè saltem implicite committat, & felicem eventum ab eo exspectet, illi convenit in timore & tremore, saltem non ludibundum in tantâ re versari. Sed qui per sortium casum, determinationem alicujus rei quaerit, & coram Deo suo tam propè versatur, ut ad

eum, judiciumque &c. si non explicitè, saltem implicitè. Ergo illi convenit in &c, saltem &c.

Minor probatur.

Qui rem suam superiori causæ, quam naturæ aut arti committit, ille coram Deo &c. ad judicium ejus &c. illi rem suam committit &c. Sed qui sortitur, rem suam superiori causæ, quam est natura & ars committit. Ergo coram Deo &c. ad judicium &c. illi rem suam committit.

Major probatur.

Qui ab idolo fortunæ, aut à diabolo felicem sortis eventum non exspectat, ille rem suam superiori causæ quam naturæ aut arti committendo, nulli nisi Deo committit. Sed Christianus ab idolo fortunæ aut diabolo, felicem eventum sortis non exspectat. Ergo rem suam superiori &c. committendo nulli, nisi Deo committit. An conatus probationis hic compareat, lector judicet. Saltem censoris nuda rejectio & argumentorum explosio, cum rhetoricationum choragio hic apparet: nullus justæ refutationis conatus.

§. *Scripturæ loca ad pompam sanè &c. nec argumenti &c. cor aut caput, aut caudam etiam attingunt.* Mera ἀκρισία nimiæ perturbationi & festinationi adscribenda. Ipse verba

verba mea: (*Hoc repugnaret reverentiæ & timori Dei* Jes. 66. 2. & 8. 13.) appellat *rationis clausulam*. Quod si verum; ergo loca citata ad minimum argumenti mei caudam attingunt: Inde enim colligitur coram Deo suo, tam propè absque timore reverentiæ versandum non esse, nec ad illum judiciumque ejus eundum. Deum autem speciali providentiæ suæ modo in dispositione sortis, & connexo judicio, seu determinatione dubii aut controversi, præsentem esse ex scriptura cum Theologis supra cit. statuo. Unde educo, debere nos accedentes ad sortitionem, exspectare & petere à speciali Dei providentia immediatum judicium, & determinationem. Quod ludendo fieri non debet. Hoc est, quod per loca citata probatum volebam. Quid contra hæc censor?

5. *Fatuæ planè & ridendæ superstitionis esse, ad sortem divisoriam de reculis quibusdam &c.*] *Resp.* 1. Autores Christiani, tum scholastici (ex & cum *Thoma loc. cit.*) tum nostri, qui aliquam sortem divisoriam concedunt, hanc addunt conditionem, ut sit in re gravi, aut propter grave incommodum vitandum: sive tale in se, sive per hominum infirmitatem. Vide infra *anacrisin* 9. Qui tantum æquitatis non ha-

bet, ut reculas in commune coëmtas, (ex. gr. duos passeres, aut alaudas, aut columbas, aut quatuor pisciculos, aut pugillum squillarum, aut duos congios moris, fragis, nucibus &c. repletos) dividere nolit sine sortitione, næ is animi sui intemperiem prodit. Abrahamus in re longè majoris momenti Lotho absq; ulla sortitione optionem dabat. Genes. 13. *Si tu ad lævam, ego ad dexteram concedam: si vero tu dexteram, ego sinistram eligam.* Non est ergo temerè & in leviculis per sortem exquirendum judicium. *Resp.* 2. Dato tenuem esse sortitionis alicujus materiam & occasionem, ex. gr. punctulum præsumti honoris, aut lucellum unius assis: Non ideo tamen ridicula est forma & finis ejusdem, illisque conveniens sortientium habitus. Aliquid materialiter & in se exile est, quod tamen prius propter aliud, & in consequentiis non est exile. Exemplo sit juramentum in casu litis interminabilis, quamvis super titivillitio. Lites, pugnas, vulnera, cædes evitare ac prævenire non est exile, & Deum pacis, omniumque specialiter sortium moderatorem in usu hujus medii ad pacem, reverenter respicere, nec superstitiosum, nec ridiculum est. Velim definiisset superstitionem, & præsenti negotio applicatam dedisset. Valdè enim

enim metuo, ne sparsis de superstitione dicteriis, claustra laxentur. Certè vanitatum & abusuum patronis familiare est adhibere vocabula diminutiva, ex. gr. peccatulum, verbulum, exigua pecuniæ summula, recula, pusillum, haustulus, tantillum &c. ut ita ex parvitate materiæ colligant τὸ licitum, aut saltem τὸ peccatum veniale. *Resp.* 3. Scire velim, an censor à quibuscunque rebus hujus sæculi non tam minutulis, ad minimum seriis, aliisque itidem majoris momenti, immo & maximi, excludat omnem peculiarem respectum ad Deum speciali providentiâ suâ illic præsentem, disponentem ac determinantem. Ex. gr. An fatuæ & ridendæ sit superstitionis accedere ad sortem cum timore & tremore, aut saltem non ludibundum, cum electiones Senatorum (uti apud Venetos, & alibi) peraguntur, cum pericula bellica in excubiis & oppugnationibus, aut pœnæ capitales jactu & casu sortis (cui similis δεκατία decimatio apud *Polybium lib.* 6.) huic præ illo adjudicantur. Si ad superstitionem ista relegentur, ultrà scire velim, an in electionibus ecclesiasticis sorti in casu parium suffragiorum de consensu utriusque partis committendis, aut in designatione ministri laborantes peste visitaturi (uti Genevæ fieri solet);

solet) aut ministri tempore calamitatis bellicæ & persecutionis in civitate mansuri (de quo casu *Augustinus epist.* 180) aut ministri cum classe armata in hostem eunte profecturi (uti postremis annis in Belgio nostro casus hic aliquoties incidit), an inquam, superstitiosum esset, ad Deum respicere, & in præsentia ejus cum reverentia versari? Sed fortè quis excipiat, Deum in ecclesia & rebus ac negotiis ecclesiasticis peculiari ratione præsentem esse, & Christum ambulare inter septem aurea candelabra *Apocal.* 2. *v* 1. Regero, etiam Deum alio quodam peculiari modo præsentem esse in collegiis judicum & magistratuum *Ps.* 82. *v.* 1. cum 2 *Paralipp.* 19. *v* 6. Et in bello. *Deuter.* 23. *v.* 14. *Resp.* 4. Cavillatione non caret, quod censor verba mea *cum timore & tremore*, non tam oppugnat, quam per mycterismum rejicit, detruncatis verbis sequentibus: *saltem non convenit ludibundos in tanta re versari.* Videbat fortè si hanc clausulam addidisset, mycterismo locum vix futurum fuisse. Quod si in divisionibus secularum coemtarum (uti loqui amat) respectu ad Dei providentiam specialem illic determinaturam, locus aliquis *timori & tremori* reverentiali absque crimine superstitionis, relinqui non possit, saltem

tem ne decori (τοῦ πρέποντος) & libertatis Christianæ genuini usufructuarii habeantur, qui ludibundi in illis casibus sortitionem adhibent: atque adeo ad superstitiosos relegentur, omnes illi qui putant jocum & ludum in tali exspectatione judicii ac determinationis divinæ haud quærendum. Distinctionem quam innuebam ratione rei super quâ fit sortitio, aut non intellexit censura aut volens prætetiit. Similem ferè habet *Amesius lib.* 4. *Casuum cap.* 31. cum reverentiam circa res sacras distinguit in positivam & privativam: quarum istam extra sacrum earum usum commendat, illam minimè. Privativam ad minimum requirebam in usu sortium, etiam in re in se quidem leviculâ, gravi tamen ex hypothesi seu per accidens malitiæ hominum: cum dicerem, *saltem non convenit ludibundos in tanta re versari*. Posse autem, immo & debere aliquando ob hominum malitiam in rebus minoris momenti (quas censor *reculas* appellat) sortitionem adhiberi, & Dei judicium, ac voluntatem exquiri atque exspectari observant commentatores ad *Proverb.* 18. *v.* 18. Lavaterus: *in dividendis rebus, puta hæreditatibus, legatis, donatis, manubiis, & similibus, vel distribuendis certis functionibus, sive magnis, sive parvis*

parvis (Nota) *quisque suo commodo studet, & querelæ variæ exoriuntur. Sæpè æqualitas in divisione rerum servari nequit: ad vitandas igitur contentiones, sortibus utimur.* Corn. à Lapide. *cum res de qua litigatur, anceps & dubia est, cujus sit, vel quia jus utriusque incertum est, & dubium, vel quia utraque pars potentes pro se rationes profert, vel aliâ simili de causâ; tunc non alius lites sedandi suppetit modus, nisi ut eas dirimat & definiat sors.*

§ *Insignis certè Sacræ Scripturæ abusus* &c.] Evenit nobis Dianam hanc aleam in gratiam magnæ procerum, & plebeiorum, turbæ, cum nostro censore non colentibus, quod sibi metuebat Batsabe, 1 *Reg.* 1. futurum est, *ut & ego & filius meus Salomon peccatores reputemur.* Duobus scilicet criminibus maculamur, fatuæ superstitionis, & insignis abusus Scripturæ. Sed rationem posterioris hujus categoriæ audiamus: *Obtorto collo ad sortem coguntur, quæ de Dei verbo vel objurgatorio, vel comminatorio cum timore & tremore excipiendo dicuntur.* *Resp.* Dato regulam illam generalem de Dei timore *Jes.* 8. applicari speciali alicui promissioni aut comminationi, an ideo sive per analogiam, sive per subsumtionem ad alia Dei verba aut opera reverenter

verenter habenda, tractanda, consideranda applicari non poterit? An Deus non erit timor noster in adeundo conjugio, in bello suscipiendo & gerendo, in muneribus publicis adeundis, in Principum & Magistratuum consiliis ac judiciis; ubi speciali quodam modo providentia ipsius exeritur & spectatur? An vero tantum in templis, liturgiis, oratione, verbi prædicatione, sacramentorum perceptione? Certè insignis hæc esset profanitas, Quod ad locum *Jesa* 66 *v.* 2. Exponitur ille à nostratibus interpretibus de Deo timendo in observatione præceptorum: inter quæ cum sit tertium, ad quod debitus usus sortis reduci debet (uti nos probasse putàmus) sequitur temerariam & iniquam esse accusationem de insigni scripturæ abusu. An censor exceptiuncularum suarum serram reciprocando torserit & detorserit scripturas, ut ludos aleæ in tuto collocet, penes lectorem arbitrium esto.

Gisb. Voetii.

Tertio, omnia exempla sortium in Scripturâ apud pios usitata, nihil aliud quam rei gravitatem, modi & usus reverentiam, & finis non vanitatem, sed necessitatem atque utilitatem indicant.

Thom.

Qualis autem ratio ista ? *Sortes omnes apud pios in Scripturâ usitatæ* (extraordinariæ pleræque, ordinariæ paucæ) *in rebus gravibus, cum reverentia, fini non vano, sed necessario atque utili sunt adhibitæ. Ergò secus adhibere sortem ullam haud licet.* Ut enim de *reverentia* nihil dicam, quá certè haud insigni aliquâ ac peculiari opus erat, in agno hædove decimo quoque sorte designando, *Levit. c.* 27. *v.* 32. Vide *Tract. de sort. c.* 6. §. 4. Pari ratione argumentari sic licuerit: *Sagittarum in Scripturis nullus usus reperitur nisi vel in bello, vel in serio aliquo utrlique negotio. Ergò sagittis ludere nulli licet.* Vel sic etiam: *Somnia quæcunque in sacro codice memorantur, vel piorum, vel impiorum etiam, divinitus monitum aliquid vel prædictum continent. Ergò in somnio omni divini aliquid subesse, certum est; nec itaque nisi cum reverentia notabili, & fini necessario, somnia cuiquam narranda sunt.* Quasi verò de rebus leviculis ac ludicris etiam, nisi si qua extra ordinem inciderit occasio, puta, quid quisquam somniarit, quave re luserit, historia sacra satagere consueverit, & quia nusquam ea sortis ludicræ aut leviculæ usurpatæ meminerit, ideò pios homines tempo-

temporibus illis sorte vel animi gratiâ vel ad negotia minutula nunquam usos fuisse, pro comperto, aut probabili etiam, habendum sit. Quod argumentum *à non scripto ad non factum, in rebus præsertim trivialibus*, & quas ex sui natura historiæ seriæ, sacræ multò magis, gravitas respuat, nisi sicubi ex materiæ momentosæ magis occasione, (quod rarius solet) *contigerit, est omnium planè ineptissimum.*

ANACRISIS VII.

§. *Qualis autem ratio ista &c. extraordinariæ pleræque* &c. *Ergo secus adhibere* &c.] Talis ratio est, quam censoris exceptiones minimè infringunt. 1. *Prima exceptio est: reverentiâ insigni aliquâ ac peculiari, haud opus erat in agno &c. decimo sorte designando Levitic.* 27. 32. *Resp.* aliquâ tamen reverentiâ, secundum censorem, opus erat, quamvis haud insigni. At reverentia Dei quocunque gradu, non est ludus & jocus. *Deinde* scire velim, quo sensu dicat partem aliquam cultus ceremonialis, quo per sortem & decimationem Deo aliquid consecrabatur (*Levit.* 27. 32. cum *Jer.* 33. 13.) insignem aliquam ac peculiarem reverentiam non requirere. Quod si quis subtiliter distinguat, cum rem quandam corporalem, & quidem exiguam (ex. gr.

gr. liberationem à culicibus aut cimicibus somnum interturbantibus) à Deo petimus, insigni aliquâ ac peculiari reverentiâ, attentione, devotione, fide haud opus esse; an inde inferri poterit, preces à ludibundo fundi posse? Idem δι' ἀτόπου inferri posset ex juramento super re exiguâ, ex. gr. ablatione aut solutione unius teruncii. 2. *Secunda est, Quia pari ratione argumentari licuerit, sagittarum in scripturis nullus usus reperitur, nisi vel* in bello &c. *Resp.* Immo si in scripturis de sagittarum usu & regulis & exemplis divinitus probatis doceremur, eas ex conventione tantum mitti & omne judicium earum esse à domino ad res dubias terminandas; utique per ludum & jocum ad rei alicujus per solius judicii divini terminationem mitti non deberent. Sed quia de sagittis tale quid nihil scriptum, quale de sortibus: videt lector ἄλογον & obtusam esse consequentiam à dissimili. Quasi quis tali consequentiâ ad absurdum nos deducere tentaret: Advocati testimonii divini & adhibiti verbi divini, nullus usus in scriptura reperitur, nisi in serio aliquo, utilique negotio: ergo testimonio, juramento, verbo divino nulli ludere licet. Dicat quis postremum esse absurdum: atque ideo non valere consequentiam majoris. Quis

non

non videret minorem hic negandam, ideoq; consequentiam majoris minimè infirmari. Nunc parodicè applica ad censoris consequentiam ab absurdo. 3. *Tertia est, Somnia quæcunque in sacro codice memorantur* &c. *Resp.* Planè absurda collectio. Nam narrationes somniorum non sunt judicia Dei. Somnia ipsa naturalia, à nullo hominum contractu ad res ambiguas determinandas adsumuntur; nec inchoatio & cessatio eorum ab hominum arbitrio pendent. Divina seu θεόπεμπτα rem aliquam divinitus revelatam indicant, atque hunc in finem consulenda atque assumenda sunt. Diabolica quantum in nobis est, fugienda & contemnenda. Quod ad narrationem somniorum naturalium, si materia eorum sit ridicula, risus & ludus in se non est illicitus. Posset autem talis esse materia, cujus narratio ludos & jocos non admitteret. Diabolicæ vexationis, tentationum, illusionis recordationi ac relationi, non puto ludos convenire: siquidem scripturæ credimus. *Ephes.* 6. *v.* 11. 12. 1 *Petr.* 5. *v.* 8. 9. 2 *Cor.* 11. *v.* Divina somnia ut nunquam ridicula sunt, sic narratio eorum, risum & jocum non admittit. Sed quid hoc ad contractum sortis, cujus casui, controversia determinanda committitur *Proverb.* 18. 18. & cujus

jus voluntariâ missione ad judicium Dei *Proverb.* 16. 33.) provocatur. Quid si pari consequentiâ ad absurdum evincatur, per ludum & jocum posse aliquando juramentum adhiberi; & more Casuistarum Pontificiorum rem super qua præstatur juramentum quis faciat *tenuem*, *minutulam*, *trivialem*, puta controversiam super vano & stolido punctulo honoris, aut super damno unius atque alterius assis, qui Titio à Mævio crediti dicuntur, aut super amissione libelli alphabetarii, aut pulli gallinacei, qui apud Semproniam depositus dicitur. An ex materiâ tenui, aut nullius momenti, super quâ lis, & præstatio juramenti incidere possit, tenuitas juramenti & tenuis aut nulla reverentia in præstando juramento, immo & licitus ludus ac jocus, per bonam consequentiam educi poterit? Quidni pariter cum Scholasticis & Casuistis Pontificiis ex *parvitate*, seu *levitate* materiæ peccatum veniale colligatur? Vide *Azorii lib.* 4. *cap.* 8. Notum est quomodo Casuistæ illi passim res subjectas vocabulis diminutivis, & epithetis *parvi*, *levis*, *non tanti*; &c. expolientes ex peccatis faciant non peccata, aut saltem venialia. *Toletus lib.* 4. *c.* 12. *Qui imponit falsum alicui* LEVE, *contra præceptum facit: sed ob levi-*

levitatem materiæ non est mortale. Idem lib. 5. c 16. *Cum vero est parva quantitas secundum se & respectu etiam alterius, tunc furtum est veniale.* Imm. Sa in verbo *furtum* §. 13. *Magnas divitias possidenti tres argenteos auferre non erit mortale peccatum.* Præterire nequeo, quin premam illud censoris *minutulum*, & *triviale* sequenti quæstione: An cum in senatu lites super rebus minutulis & trivialibus examinantur & terminantur; aut super talibus rebus ac negotiis ordo quis statuitur, ilico inde fugetur specialis Dei præsentia & providentia, (quæ *Ps.* 82. *v.* 1. 2 *Paralip.* 19. *v.* 6. *Proverb.* 8. *v.* 15. 16. illis adesse & præesse dicitur) atque adeo ad illam tunc sine superstitione respici non possit; eademque redeat, & ad eam respiciendum sit, simulac res graviores, extra classem minutularum & trivialium, judicandæ aut ordinandæ offeruntur. Addatur & *secunda* quæstio: An pro levitate aut gravitate materiæ pro parva aut magna re, cum Deum oramus, aut votum aliquod vovemus, aut juramentum præstamus, parvus, aut etiam nullus respectus ad Deum, parva seu *non-insignis* reverentia erga eundem adesse debeat, ne audiamus superstitiosi; & ab alterâ parte magnus respectus & insignis reverentia requiratur, ne

audiamus profani? Sequatur & *tertia* quæstio: An in sortitione super agris, & opulentis hæreditatibus; aut regalibus dominiis & bonis dividendis, & magnis muneribus conferendis; & rursum in minutulis ac trivialibus dividendis, aut tenuioribus seu mavis vilioribus quibusdam muneribus conferendis, versari possimus juxta vulgatum illud: *Curat magna Deus, fortunæ parva relinquit. Zwarez lib. 2. de religione cap. 12.* eventum sortium ludicrarum pendere dicit *ex pura fortuna.*

§. *Quod argumentum* à non scripto ad non factum, *in rebus præsertim trivialibus &c. est omnium planè ineptissimum*] Immo planè ineptissimum est, ne quid aliud dicam, falsæ hypothesi & proprio figmento hanc exceptionem superstruere. Ubi ego à non scripto ad non factum argumentatus sum? Præsuppositis axiomatis *Proverb.* 16. & 18. & ex iis atque unà ex lumine ac ratione naturali, communi sapientum consensu sortis divisoriæ usu licito comprobato, ex omnibus exemplis in rebus tum ecclesiasticis, tum politicis regulas illas illustrantibus, argumentum contra sortes ludicras piis mentibus considerandum obtuli. Quod si in ejusmodi quæstionibus & casibus moralibus, summam potissimæ demonstrationis

nis ἀκρίβειαν quis requirat, utique doctrinæ philosophi *lib.* I *Ethic, ad Nicom. cap.* 3. se immemorem ostendit, & magnas partes *tract. moralium & homiliarum* de specialibus vitiis criticâ suâ falce demessum it.

Gisb. Voetii.

Quartò, ex adjunctis & consequentibus aut semper, aut ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ istarum Sortium, facile de arboris bonitate judicari potest. Sunt enim lusus supra omnes alios subjecti secretæ cuidam maledictioni. Quod arguunt, blasphemiæ, execrationes, furiosæ & impatientes eventuum cupiditates atque expectationes. indignationes in Deum aut fortunam, aut in proximum, denique lusuum istorum servilis insatiabilitas, quod homines eis nec modum, nec finem imponere, quodque noctes & dies vix quiescere possint.

Thom, Gatakeri.

Num omnis Sortis usus lusorius ubique & apud omnes, aut ut plurimum, excessuum istorum prægnans deprehenditur? Ergon', ubi sorte definitur, quis sagittam primus, quis globulum missurus sit, ab eâ sortitione plerumque ebulliunt statim hæ pestes? Quam autem istud, & â veritate prorsus alienum, & charitati Christianæ adversum planè, eis omnibus aut plerisque

etiam qui se chartis simpliciter oblectant, ea crimina affingere, quæ nisi in homines ἀσώτους & quam maximè irreligiosos, raro-renter admodum incidant? Quam præposterum, abusus in quibusdam apud quosdam ratione, usum rei per se alioqui non illicitæ in universum damnare, & ab humana societate penitus submovere? præsertim quum & in illis quibusdam usus ab abusu facilè possit secerni, si quis ipse id voluerit. Tum de arboris bonitate, si quis ex improborum excessibus judicium ferre voluerit, quid Necotiano germini, quid uvæ sanguini futurum est? num cum Manichæis *Fel Principis tenebrarum* istud (sic enim illi, Augustino teste de hæres. c. 46.) cum aliis quibusdam *Fumariam infernalem* illud indigetabimus? vel etiam maledictioni secretæ cuidam subjectum utrumque statuemus? quod altero homines innumeros effascinari quodammodo experientia doceat, ut nec noctu nec interdiu quiescere queant, nisi tubulum fumo illius excipiendo destinatum in ore jugiter habuerint: ab altero, cum Solomone, lites, rixas, verbera, vulnera, cædes, homicidia, facultatum dilapidationes, oculos rubentes, ora liventia, capitis vertigines, oculorum caligines, cordis tremores, corpora morbida,

bida, mortes vel subitaneas, vel præfestinatas, convicia fœdissima, execrationes diras, blasphemias horridas, stupra, adulteria, incestus etiam, provenire compertissimum habeamus. Denique quid hæc omnia ad Thesin præsentem, quæ Sortis ratione ludos hosce esse illicitos contendit? Quid ad Controversiam de Sortis usu in re ullâ ludicrâ? Quæ enim hæc est consequentia? *Ludi quidam Sorte consistentes vel merâ vel mixtâ, gravissimorum fœtæ sunt excessuum & impietatum. Ergo Sortis usus omnis leviculus est in se & ex se illicitus.*

Anacrisis VIII:

§. *Num omnis sortis usus lusorius ubique & apud omnes &c.*] *Resp.* Magna imperitia est in practicis ex. gr. medicis, politicis, ethicis, œconomicis τὲ κατὰ πάντος & τὸ καθ' αὑτὸ, perfectum, & consequenter τὸ ἀκριβὲς demonstrationis mathematicæ requirere? τὸ γὰρ ἀκριβὲς οὐχ' ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητεόν &c. *non enim in omnibus orationibus subtilitas similiter requirenda est* inquit *Philosophus lib.* 1. *Ethic. Nicom.cap.* 3. Certè eruditi, & rerum æqui æstimatoris est ἐπὶ τοσοῦτον ἡ ἀκριβὲς ἐπιζητεῖν καθ' ἕκαστον γένος, ἐφ' ὅσον ἡ τοῦ πράγματος φύσις ἐπιδέχεται.i. e. *subtilitatem re-*

quirere in omni genere eatenus, quoad rei natura patiatur. Ibid. Lector, cui vacat, integrum illud caput & 1. *analyt. poster. cap.* 5. *cum commentatoribus* percurrat. *Phil. Scherbius* Philosophus non incelebris, *in suis contra Ramum diatribis*, latitudinem τοῦ κατὰ παντὸς præceptorum in disciplinis egregiè explicuit, eumque *Libavius in schediasmatis suis contra Rennemannum defendit.* Sed Medicis, Philosophis, Politicis sua relinquamus. Tantum nunc dicam de rationibus & motivis, quas Theologi practici tum antiqui, tum recentiores contra specialia quævis peccata congerere solent. An semper τὸ λίαν ἀκριβὲς adhibebitur quærendo, Num omnia vitia, ex. gr. superbia, ebrietas, avaritia, invidia, ira, fornicatio, hæresis, schisma, mordens usura, choreæ larvatæ, ballettæ seu dramata saltatoria, torneamenta, spectacula apud Romanos olim recepta, *ubique & apud omnes excessuum istorum prægnantia deprehendantur?* Hoc censoris κριτήριον adhibeatur, aut si mavis illud Lyrinensis catholicum, *quod omnes, quod ubique, quod semper*, omnibus rationibus, quas ab adjunctis, & effectis desumtas ebrietati, luxui, spectaculis, livori, iræ, avaritiæ, fœnori &c. opponunt Tertullianus, Cyprianus, Basilius,

Basilius, Ambrosius &c. Quid fiet rationibus Joh. Spinæi, Taffini, Johannis Downami, & infinitorum pænè ejusmodi Theologorum moralium? Examinent aleatores & alearum patroni ad hanc censoris trutinam omnia Proverbia Salomonis, & in iis speciatim descriptiones ebriosi, superbi, avari. Immo & characteres avari, & juniorum viduarum 1 *Timoth.* 5. & 6 Omnia hæc veritati & caritati repugnare dicemus: quia aliquando id aliter evenit. Sufficit ergo sæpè aut ut plurimum ista sic evenire. Aliter etiam gnomæ aliquot & adagia Scripturæ accipi non debent. Vide modo e.gr. *Lucæ* 4. *v.* 24. & 16. *v.* 8. & 10. *Tit.* 1. *v.* 12. *Philipp.* 2, *v.* 21. *Matth.* 9. *v.* 16. & 26. *v.* 52. *Luc* 5. *v.* 39 *Johan.* 10. *v.* 11. 1 *Corinth.* 9. *v.* 7.8. Esse autem ludum aleæ malis à nobis recepsitis ut plurimum infestum, ex testimoniis omnium autorum, *anacr* 9. cit. & quotidianâ experientiâ, atque exemplis apud Zwingerum & Dauroultium, abundè constare arbitror. Si quis omnia illa diminutivis suis *leviculi*, *trivialis*, *reculæ*, &c. difflare, & periculum amare pergat, is videat ne in eo pereat. An censor tale quid in familiâ suâ expertus sit, malim ab aliis dici.

§. *Quam autem istud, & à veritate prorsus alienum & charitati Christianæ adversum*

ſum planè &c.] *Reſp.* Immò à veritate alienum prorſus, & caritati Chriſtianæ adverſum planè talem criminationem ab uno cenſore in omnes antiquos Patres, & recentiores Theologos, immo & in Ethicos, Jureconſultos, Politicos, ipſas ſynodos, & jus civile intorqueri. Quod ſi ipſe in tam religioſos & temperantes aleatores fortè inciderit, non debet pauculas exceptiones univerſali experientiæ opponere, & panegyrin teſtium, qui experientiæ atteſtantur (quorum partem mox ſequenti anacriſi indicabimus) à teſtimonio removendo tam indignè removere. Quidquid ego unquam, quidquid pii quique miniſtri mihi hactenus noti, de aleæ fructibus audire ac percipere potuerunt, tot teſtimoniis per tot ſæculorum decurſum editis ſuccenturiatum facilè aſſertionem noſtram à falſitate & temeritate liberavit. Abſit ſaltem à me, ut Danæo, Taffino, Aretio, Perkinſo, Ameſio, Beaulieu, Antonino, Lyrano, Savonorolæ, aliiſque complutibus mox adducendis, hâc in parte falſitatem & caritatis defectum impingam.

§. *Quam præpoſterum abuſus in quibuſdam apud quoſdam ratione, uſum rei per ſe alioqui &c.*] *Reſp.* 1. Immo quam præpoſterum, ob paucorum quorundam malis abutentium aut ſaltem illis ſe poſſe abuti,

uti, seu ad bonum uti praesumentium exempla, malum illud tanto cum zelo & strepitu contra antiquos & recentiores Theologos defendere, & humanae societati haud obscurè commendare? Quidni pari decoro spectacula, actiones fabularum, choreae mixtae virorum & foeminarum, dramata saltatoria, larvae & personae, torneamenta, ludi fatuorum, nudata pectora foeminarum, festa Gentilium & Papistarum, omniaque idolothyta, publicis libris defensa populo reformato propinentur? Subtiliter scilicet & sine fine ac modo altercando, non esse illa intrinsecè mala, sic ut nullo in casu honestari possent; adhaec rationes omnes contra talia proponi solitas tangere tantum abusus & excessus, non rem ipsam, atque adeo commissam fuisse ab omnibus antiquis ac recentioribus putidissimam fallaciam accidentis. *Resp. 2.* Negamus in *quibusdam usum ab abusu facile posse secerni, si quis ipse id voluerit*: uti censor de lusibus loquitur. Ab aliis lusibus facilius porest, ab his omnium difficillimè. Et si aut ipse fecerit, aut unum atque alterum viderit tam felicem in regno aleae spagyricum, ut cum vellet, facile usum ab abusu secerneret, id totum est per accidens, & ex raro contingentibus, non ex natura ludi, sed ex pe-

culiari ludentis ingenio. Atqui una hirundo non facit ver: & raro contingens ludum in se & per se nec necessarium, nec præ aliis ludis animo & corpori admodum utilem, sed contra ut plurimum noxium, & malis modo memoratis obnoxium, semper prudentioribus suspectum, piis scandalosum, carnalibus & malè feriatis hominibus illecebrosum, infirmis Christianis præsertim viris honestis in otio ex peculio suo viventibus, adhæc Principibus, aulicis, militibus, nobilibus, studiosis, magistris, sociis præsertim junioribus in lubrica ætate constitutis insidiosum, tanquam licitum, nequaquam commendare debet? Ubi malum emergens, & metuendum majus est, quam bonum exspectandum, utique tutissimum est totum illud omittere, & ab ecclesia reformata *penitus submovere*. Quod si ludum illum, tempori fallendo & animo relaxando, tam benè convenientem, & ab eo tam facilè abusus secerni posse censuissent prudentes legum-latores, & præfecti ecclesiarum, utique legibus & canonibus suis, mox infra citandis; tam severè non prohibuissent. Sed fortè novitium εὕρημα tam facile abusus secernendi ipsis ignotum fuit: quod si per aliquem aleæ patronum dias in luminis auras aliquando prodierit, catalogo

talogo novè repertorum Pancirolle adſcribi poterit. Interim dum meliora nondum videre aut audire contigit; viæ tritæ inſiſtens moneo noſtros, ne vulgatam illam regulam, *tollatur abuſus, maneat rerum ſubſtantia*, ſine grano ſalis, hoc eſt, ſine neceſſaria limitatione recipiant, quam alio in caſu ſuggerunt eccleſiæ Gallicæ per ſuos deputatos in egregio libello *de ſaltationibus lat. & gallicè edito*: Illam ſcil. regulam tantum valere in rebus neceſſariis, aut per ſe admodum utilibus. In aliis ergò periculum non eſt amandum, & fertiles malorum occaſiones fugiendæ, nemini tali in caſu ſcandalum præbendum, ab omni ſpecie mali abſtinendum. Omnes Chriſtiani hoc audiant, imprimis Naziræi; à quibus indecorè & ſcandalosè tales ludi exercentur, multò magis *vivâ voce* excuſantur, maximè omnium ſcriptis libris, non ſine acerba aliter ſentientium inſectatione, defenduntur. *Reſp.* 3. Dilutæ ſunt & ineptæ, quas annectit, inſtantiæ de uſu & abuſu necotiani & vini, Illud enim tanquam medicamentum, iſtud tanquam alimentum & medicamentum divinitus ordinatum, & conſequenter ad vitam humanam neceſſaria, aut admodum utilia eſſe, nemo ignorare poteſt. De vini uſu vide ipſam ſcripturam.

 *Pſal.*114.

Psal. 114. *v.* 15. *Proverb.* 31. *v.* 6. 1. *Timoth.* 5. *v.* 23. *Luc.* 16. *v.* 34. Usus necotiani, aliorumque medicamentorum ex observatione & experientia per inductionem evincitur. Sed nihil tale de ludo aleæ ad lucrum aut ad temporis fallaciam, demonstrari potest. Est ergo argumentatio à dissimili: utimur necotiano & vino ad necessitatem: Ergo *usus leviculus* (hoc ejus diminutivum) aleæ ad voluptatem. & temporis fallaciam est licitus.

§. *Denique quid hæc omnia ad thesin præsentem &c. quid ad controversiam de sortis usu &c. Quæ enim hæc consequentia &c.*] *Resp.* 1. Pueriliter sanè hâc coronide exultat, mihique insultat? At facilis ejus retorsio: *Quid vinum & necotianum ad sortes ludicras? Quæ hæc consequentia?* Cur pari judicio panem, ignem, vestes, conjugium, regimen politicum, immo, & verbum Dei, sacramenta, ecclesiam, Christum ipsum. (quorum usus propter abusum non est removendus) in hanc scenam non produxit ad Helenæ aleatis nuditatem tanto abundantius tegendam. *Resp.* 2. Censura nec in coronide nec in præmissis, vel minimo digito attingere ausa, quod dixeram: *Sunt enim lusus supra alios subjecti secretæ cuidam maledictioni &c. denique lusuum istorum*

istorum servilis insatiabilitas &c. Hoc ergo cum negare nec ausus, nec potuit, pro confesso sumo, & testimonium reddente mihi communi experientiâ, omnibus præsertim junioribus, nimium cereis in vitium flecti, etiam atque etiam inculco, littus hoc avarum fugiant, periculosam hanc charibdim declinent, ne his Sirenum scopulis adhærescant; & siquidem animus ludis subinde relaxandus, illos sibi eligant, quibus vires refocillentur, non lassentur, quosque facilè inchoare & abrumpere queant; ne πάρεργα fiant ἔργα. Sed hæc omnia secus se habere in usu aleæ, ex ipsa natura ludi, & ex communi experientia nemini non constare potest. Fortunam (utor phrasi aleatorum) denuo experiri non desinit, qui lusum perdidit, usque ad ultimum quadrantem; quia à victoris ingenio, arte, industriâ (uti in aliis ludis) eventum nullatenus pendere novit; & tandem vel semel jactum sibi feliciter casurum sperat: In aliis ludis ubi victoris ingenio & arte se superari quis videt, cum impari aut non congreditur, aut tandem congredi desinit.

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor:
Et revocat cupidas alea sæpè manus.
Ovid. lib. 1. de arte amandi.

Nec est quod excipiant chartis impallescentes,

scentes, atqui depositis nummis non certabo, nec vanæ gloriolæ ex victoria tantum litabo, ut propterea manum de tabulâ tollere, & nummos aut bonas horas melius collocare nolim. Si tu voluntatem tuam ita in potestate habes, alii omnes cujuscunque ætatis, sortis, conditionis nòn habent, qui tuo præsertim Theologico aut Pastorali sive judicio, sive exemplo ad ludos illos seducti in præcipitia modo dicta, cum plerisque ludionibus incidere possent. *Si quis unum ex parvulis in me credentibus scandalizaverit, &c. Matth.* 18. *v.*6. Væ mundo à scandalis. Pii quique præsertim ministri & ministerii candidati, etiam à licitis quibusdam prudenter abstinere discant, ne aut ipsi aut alii ad illicita deveniant. B. Apostolus Judas *v.* 23. monet, *etiam tunicam à carne maculatam odio* habendam. Genuæ publica & quasi continua exercitia ita vigent, ut ad compitum, dictum Divi Syri, *ferè tota juniorum multitudo ad alearum ludos conveniat*: teste *Steph. Riccio in histor. rerum Italicar. ad ann.* 1618. *narr.* 6 *p.* 213. Legi nuper in *adagialibus sacris Mart. Delrio ad cap.* 30. *Syracidæ v.* 21. exemplum viri nobilis & in dignitate constituti ipsi noti, qui ludo chartarum tam serviliter addictus erat, ut cum lecto affixus ipse, eum exercere nequiret,

alios

alios lusores coram se hoc agere volebat, quò usque ad extremum vitæ halitum ejusdem spectator esset. Lusorium furorem Parisiensium memini me alicubi legisse : Aliorum exempla, qui noctes & dies insaniam illam insanierunt, & in εὐπερίστατα illa mala inciderunt, apud autores citatos reperies. Facessant ergo eorum *qui se chartis simpliciter oblectare* dicuntur, insidiosa τοῦ *leviculi*, *minutuli* &c. diminutiva.

Gisb. Voetii.

Quintò, ex suffragiis antiquitatis, Clementis Alexandrini lib. 3. c. 11. *Cypriani* epist. de aleatoribus, *Chrysostom* homil. 6. in Matthæum, *Concil. Eliberin.* can. 79. *Augustin.* epistol. 119. *Jure Civili lusus illi satis, opinor, stigmatizantur* tit. D. & C. de Aleatoribus. *& sic Jure Canonico* c. Clerici, de vita & honestate Clericorum. *Lyranus* in Præceptorio *novem rationibus eos oppugnat. Idem facit Antoninus* part. 2. tit. 1. c. 23. 6. *ubi enumerat* 21. *peccata, quæ in illis ludis interveniunt* : *addit* tot esse scelera in ludo, quot sunt puncta. *Hostiensis* in summa tit. de Excessibus prælatorum, *refert sexdecim crimina, quæ in talibus perpetrari solent. Hos sequitur Petrus de Ravenna* in Alphabeto aureo, *verbo* Ludus; *& Ignatius Lopes de Salsedo* in

Pra-

Practica Criminali Canonica cap.70. de Aleatoribus: *ubi graviter inprimis incessit Clericos aleatores, & pœnas à Canonibus in eos constitutas strictè urget*: *citat pro rigida sententia, esse scilicet peccatum mortale, si Clericus utatur illis ludis, Baptistam Caccialupum & Paridem de Puteo Tractatibus de Ludo. Sylvester* in Summa, *in voce* Ludus, *omnia hæc incrustat, & tam Laicis, quam Clericis pulvillos consuit; sed improbè ineptis rationibus. Ex nostris inprimis præcisè hanc causam tuentur Martyr* loc. class.2, c.12. *Danæus* pecul. tract. *Taffinus* libr. de Emendatione vitæ. *Amesius* in Medulla Theolog. & in Casibus lib. 4. cap. 23. *Rivetus*, *Perkinsus*, *Dodus & Cleaver*, *Georgius Downamus* in expos. Decalogi.

THOM. GATAKERI.

De Antiquitatis suffragiis istis abunde satis est responsum in *Tract. de Sort. c.* 8, §. 9. 50. uti Typothetæ culpâ numerus initur: sive, 5. 6. 7. uti series ipsa poscit. Verum unum ego, unicum saltem inquam, ex antiquitate tota nominatim mihi designatum velim, qui sortem ludicram omnem prorsus damnaverit, vel hàc ratione ludos illos illicitos impiosque pronunciaverit.

Quæ

Quæ autem ex Pontificiis illis attexuit, pro rationis superioris lacinia haberi possunt: itaque ad illam & istis responsum est. E nostris, qui præcisè causam hanc tueri prohibentur istic, quid senserint nonnulli vidimus supra. Rationibus istic locus est.

Cæterum malæ Fidei Theseon harum autor non uno nomine istic manifestus tenetur. 1. Quod *Cypriani* scriptoris, si quis alius, gravissimi pariter ac elegantissimi nomine, morionis ineptissimi fabellas futilissimas, nænias putidissimas, barbarè conscriptas obtrudit. Vide *Tract. de Sort. cap.* 8. §. 10. *p.* 254, 255. 2. Quod *Augustinum* & *Chrysostomum* laudat tanquam causæ suæ patrocinantes, apud quos locis citatis de Ludis hisce, ne verbulum quidem reperitur. Augustinus *Epist.* 119. *c.* 20. cujus verba & in Canonem translata haben tur apud Gratianum *caus.* 26. quæ. 2. de eis tantum loquitur, *qui de paginis Euangelicis* (num chartæ & alea sunt paginæ Euangelicæ?) *sortes* (consultorias scilicet, uti mox explicat.) *legunt*. *Chrysostomus* in *Math. orat.* 6. (quod & jam olim monuimus in *Tract. de Sort. cap.* 8. §. 11. *pag.* 260.) Ludum & risum à Diabolo datum contendit: & in ludos Theatrales subinde invehitur. Unde & ex Chrysostomi sententiâ Roderi-

cus

cus Zamoren, *Speculi lib.* 1. *cap.* 31. *Deus non dat ludere, sed lugere: sed Diabolus dat ludere ne lugeamus: & dum ludimus, illudimur.* De chartis aut aleâ ne γρῦ quidem. *Proinde tam bonos autores tam male habitos, pudet planè pigetque.*

ANACRISIS IX.

§. *De antiquitatis suffragiis istis abunde &c. Verum unum ego, unicum saltem locum &c.*) *Resp.* 1. Quid si Anabaptistæ petant, ut vel unicum scripturæ dictum designes, quo, divortia ipsorum illicita & impia pronuntientur. An non responderetur, Omnia divortia illicita pronuntiari, excepto in casu adulterii. *Matth.* 19. Unde sequitur divortia Anabaptistarum ob errorem aut schisma & quæcunque alia esse illicita Similiter petunt Socinizantes, ut uno saltem loco scripturæ probetur mandatum de adoratione spir. sanct., & de fide patrum sub V. T. in Christum &c. Petunt etiam Pontificii secundum novam methodum Jesuitæ Verroni, ut unico loco scripturæ probetur, Papam Romanum esse Antichristum, missam esse idololatriam &c. Quid & quomodo petitoribus nostri responderint, tyronibus in theologiâ non ignotum est. Respondeo ergo de patribus, sortes à Gentilibus & Christianis Gentilizantibus usurpari solitas ab illis con-

condemnari, exceptis ſolis diviſoriis. *Chryſoſtom. in Galat. 1. col.* 893. (*edit. lat. Baſil*) *Multi gentium mores apud noſtros aliquot ſervantur, ſortilegia, arguria*, &c. Auguſtinus epiſt. 119. ſub finem: *Hi vero, qui de paginis euangelicis ſortes legunt: etſi optandum eſt, ut hoc potius faciant, quam ut ad dæmonia conſulenda concurrant: tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo.* Hieronymus in Jonę 1. *Nec ſtatim debemus ſub hoc exemplo ſortibus credere: vel illud de actibus apoſtolorum huic teſtimonio copulare &c. cum privilegia ſingulorum, non poſſint legem facere communem.*

Iidem patres ſortes nullas excipiunt, aut licitas faciunt, niſi diviſorias, quæ in rebus alicujus momenti ex peculiari neceſſitate cum reſpectu ad divinum judicium ad lites præveniendas aut ſopiendas adhibentur. Quod colligitur ex *Auguſtini* verbis *in Pſal.* 30. paſſim citatis, Quibus conſonant verba *Bedæ*, qui totus eſt Auguſtinianus, in *comment. ſub nomine Hieronymi editis in Proverb.* 16 *verſ.* 33. *Sicut ſortes palam in ſinum mittuntur, at clauſæ in ſinu continentur: divini autem eſt judicii* (N.), *cujus ſors elata palmam teneat.* Et *Ambroſii in Luc.* 1. *verſ.* 9. *Qui enim ſorte legitur, humano judicio non comprehenditur. Auguſtini lib.*

10.

10. *de Gen. ad literam cap.* 18. *solent quæ forte dantur, divinitus dari.* Quæ confer cum verbis *Augustini in epistol.* 180 *ad Honoratum sub finem*: Ubi in casu persecutionis sortes adhiberi vult; *Quanquam*, inquit, *hos inter Dei ministros inde sit disceptatio, qui eorum maneant: ne fugâ omnium: & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur ecclesia. Tale quippe certamen inter eos, ubi utrique ferveant charitate, & utrique placeant charitati. Quæ disceptatio si aliter non potuerit terminari: quantum mihi videtur: qui maneant & qui fugiant, sorte legendi sunt.* Et ostensâ ratione difficultatis & incommodi, si ab hominibus determinatio fieret, subjicit hæc verba: *Ideo sicut scriptum est (Proverb, 18.) Contradictiones sedat sortitio; & inter potentes definit. Melius enim Deus in hujuscemodi ambagibus, quam homines judicant: sive dignetur ad passionis fructum vocare meliores & parcere infirmis &c. Res quidem fiet minus usitata, si fiat ista sortitio. Sed si facta fuerit, quis eam reprehendere audebit &c.* Alium quem necessitatis casum habet *Augustinus lib.* 1. *de Doctr. Christ. cap.* 28.

Jam vero cum judicii divini per sortem gravem ob causam exploratio tantum, & vix conceditur, nec ludicræ sortes ad hunc ca.

sum reduci aut sub eâ comprehendi possint; spontè sequitur eas patribus visas fuisse illicitas: quamvis totidem verbis non dixerint: sortes ludicræ sunt illicitæ. Sed audiamus quomodo insuper ludum aleæ exsertè repudient. *Prohibendus quoque est* (inquit Clemens Alexandr. lib, 3. pædagog. cap. 11.) *tesserarum ludus; & præterea ex talorum ludo lucri studium, quod nonnulli acriter sequuntur. Talia enim inconsideratus luxuriæ* (τρυφῆς) *amor otiosis oblectamina suppeditat. In causâ enim est desidies. Amat autem quis inania, quæ sunt à veritate sejuncta: neque enim aliter possunt recreare animum absque damno.* Concil. Eliberinum can. 79. *Si quis fidelis aleâ, id est, tabulâ luserit nummos, placuit eum abstineri; & si emendatus cessaverit, post annum poterit reconciliari communioni.* Basilius Hexaëmeron homil. 8. in fine. *Si vos dimisero & concionem dissolvero: alii quidem ad culos discurrent, illic juramenta & contentiones graves, & avaritiæ vexatione, dæmon assistit per ossa interpuncta furorem accendens; & easdem pecunias ad utramque partem transferens nunc hunc victoriâ attollens, illi tristitiam inducens: rursus autem illum superbientem reddens, & hunc pudefactum.* Photius in Nomo-

mocanone tit. 13. cap. 29. talem habet rubricam: *De iis qui aleâ ludunt aut inebriantur*. Et adductis canonibus ecclesiasticis ac legibus Imperatoriis cum iis statuit non esse licitum κυβεία παίζειν. i. e. *aleæ ludum ludere*. Sextum Concilium (quod Photius ibidem citans sic appellat) h. e. continuatio sexti Concilii Constantinopolitani, in Trullo. can, 50. *Nullum omnino, sive clericum sive laicum, ab hoc deinceps tempore aleâ ludere. Qui secus fecerit. excommunicetur*. Ambrosius in lib. de Tobiâ cap. 11. aleones vocat *feras* & *bestias*; & *concilii aleonum potentiam plus timeri* ait, *quam dæmonum*. Refert ibidem Hunnos, cum „sine legibus vivant, aleæ solius legibus „obedire; in procinctu ludere, tesseras si„mul & arma portare, & plures suis quàm „hostilibus ictibus, interire In victoria sua „captivos fieri, & spolia suorum perpeti, „quæ pati ab hoste non noverint. Ideo „nunquam belli studia deponere, quod vi„cti aleæ ludo, cum totius prædæ munus „amiserint, ludendi subsidia requirunt bel„landi periculo. Frequenrer autem tanto „ardore rapi, ut cum ea quæ sola magna æ„stimant victus arma tradiderit, ad unum „aleæ jactum vitam suam potestati vel vi„ctoris vel fœneratoris addicat. Denique con-

„constitit quod quidam eorum & Impera-„tori Romano cognitus in fide, precium „servitutis quam sibi tali sorte superatus in-„tulerat, suppliciis imperatæ mortis exolverit. Antiquus scriptor cum operibus Cypriani editus, acriter ludum aleæ oppugnat, imprimis in clericis; in quorum tamen gratiam præcipuè à censore odiosum & scandalosum hoc alearum patrocinium susceptum si quis conjiciat, haut planè abluserit. De dicto illo Cypriano mox nobis agendum. Ne quis autem excipiat non aleam aut aleatores sed abusum & abutentes à patribus condemnari, lectori considerandum suggero, eos absolutè & indefinitè ludos aleæ & aleatores taxare: cum tamen similiter non prohibeant venationem & venatores, mercaturam & mercatores, &c. quod hæc in se & ex naturâ sui illicita non sint.

§. *Quæ autem de Pontificiis illis attexuit &c.*] sive lacinia sit superioris rationis, sive quid aliud, saltem crisis otiosè hæc ita difflare nequit, ut Pontificii Casuistæ ex iis tanquam propriis non confundantur.

§. *Cæterum malæ fidei theseon harum autor non uno nomine istic manifestus tenetur &c.*] Tantæne animis cœlestibus iræ, tanta perturbationum laxatio, ob oppugnatas à me aleas, chartas, & similes otiosas atque

„quorum: quâ in readversarios & ipsum Bel-
„larminum sequitur &c. Ut alia nunc præteream, Magnus ille ecclesiasticarum antiquitatum ταμίας. *Mornæus Plessiacus in Mysterio iniquitatis in initio* (ubi de oppositione Cypriani) hunc tract. juxta cum aliis Cypriani, sub nomine ejus citat contra primatum Papæ. Cumque Coeffetellus antagonista Plessei excepisset his verbis. *Cyprianus falsò allegatur*, respondet illi Rivetus in defensione Plessei sect. 3. § 8. *Notet lector quam parum æquum hic homo se ostendat quam iniquum & reprehendendi pruritu actum. Quamvis non esset hic liber Cypriani, quomodo convenit malæ fidei accusare eum, qui citat librum sub nomine illius autoris, cui hactenus fuit attributus, nihilominus, falsum est, cum dicit omnes doctos in eo convenire, quod non sit liber Cypriani.*

Et citat ibidem *Pamelium in argumento*
„*ad hunc librum*; cujus hæc verba. Edidit
„Primus hunc librum Morelius, & habet
„etiam M S. codex Anglicus. Cypriano ve-
„ro jam olim illum adscripserunt Landul-
„phus à Columna Camptensis in Breviar.
„historico. Antoninus Summa histor. Phi-
„lippus Bergomas in supplemento Chro-
„nic. & Trithemius. Neque etiam magno-
„pere repugnat stylus, & plerasque scriptu-

„ras, ficut Cyprianus alibi citat. Addo ego teftimonium pro potentia figni crucis ex hoc libro adduci à Joh. Stephano Duranto lib. 2. de ritibus ecclef. cathol. c. 45.

Poft verba Pamelii allata, concludit Rivetus: *Nunc judicet lector, an rationem habuerit proclamare falsitatem contra illum, qui contra Papiftas hunc librum allegat fub nomine ejus autoris, cui hiftorici ipforum eundem tribuunt, & qui cum ftylo ejufdem convenit.* Hæc apologia parodicè mihi applicetur, & de judicio atque æquitate cenfuræ judicetur.

Porro in hâc eâdem materiâ hunc librum fub nomine Cypriani aleatoribus & aleæ patronis ante me oppofuerunt *Stuckius lib. 3 convival. cap. 22. Danæus in Ifag. part. 4. lib. 4. cap. 28. De aleâ*, inquit, *exftant patrum fcripta, & graves fententiæ, videlicet Cypriani in libello de aleâ & Ambrofii, libro de Tobiâ*, Idem *tr. de alea cap.* 8. cujus epigraphe: *Prifcos & orthodoxos patres damnaffe hunc eundem ludum.* In ipfo capite in primâ acie collocat Cyprianum. *Cyprianus*, inquit, *quo nemo fuo fæculo fuit fanctior* &c. Huic proximè fubjicit Bernardum. Hunc excipiunt Canones Apoftolorum 41. 42. *In Canonibus* inquit, *Apoftolorum, qui dicuntur, apertiffimè hic*

hic idem ludus prohibetur, ut est can. 41. *& 42. ut nulla ecclesiæ ætas à nobis cogitari poßit nullique unquam fideles homines fuerint, à quibus hoc diabolicæ lusionis genus planè non fuerit profligatum & damnatum* Idem in Isagogâ part. 4. lib. 4. cap. 28. *turpi* hoc ludo tempus non esse terendum & patrum *scriptis ac gravibus sententiis damnatum* dicit; citatque ibidem Cypriani libellum de aleâ, & Ambrosium de Tobiâ &c. Eundem tractatum contra aleam sub nomine Cypriani adducunt, ex Pontificiis *Carolus Musart* Jesuita interpres sacr. liter. in Academia Viennensi *in adolescente Academico part. 3. cap. 2. §. 4. Sanctus, inquit, Cyprianus contra aleatores librum integrum conscripsit.* Ibid. aleæ exercitium appellat *flagitium*, & imprimis chartas detestatur. Insuper rationes adfert, exceptiones diluit, autoritates Ambrosii, Cypriani, Antonini, Academię Salmanticensis, advocat; insuper exempla Ludovici primi Francorum regis, & Ignatii Lojolæ: quorum iste conatus fuerat ex Hispaniâ omnem aleæ usum proturbare: ille fratre ludente cum quodam nobili ex lecto, cui per morbum affixus erat, proripserat in locum ubi ludebatur, & tabulam lusoriam, picta notulis ossula, pecuniæ

quoque depositæ partem morâ vehementer bile per fenestram in mare projecerat: *tanto*, inquit, *pro flagitio vir ille sanctissimus aleam habuit. Neque alio loco habuisse censeri debet sanctus nostri ordinis parens Ignatius &c.*

Porro novam & peculiarem censoris crisin contra mentem eruditorum tam facile rejicere licet, atque ab illo adfertur: *Cypriani*, inquit, *nomine, morionis ineptissimi fabellas futilissimas, nænias puditissimas barbarè conscriptas obtrudit.*

Sane Pamelius in lectione & stylo Cypriani non minus versatus ac censor, longè aliter pronuntiat: *Aleæ ludum multis argumentis pulchrè impugnat.* Et postea: *Neque etiam magnopere repugnat stylus, & plerasque scripturas, sicut Cyprianus alibi, citat.* Bellarminus de scriptoribus ecclesiasticis: *Liber de aleatoribus utilis & doctus est; sed non videtur esse Cypriani.* Quæ verba ex illo repetit inter nostros *Hottingerus dissert. de abusu patrum.*

Ex nostris Danæus cap. cit. *Cæterum patrum ipsorum* (Cypriani scil. nam præter ipsum nulli alii citantur nisi Canones Apostolici & Bernardus) *rationes, propter quas in illud tam acerbè & merito quidem invehuntur, sunt audiendæ, ut vel pervicacissimi* ob-

obstinatissimique hujus ludi defensores tandem aliquando silere, & sui ipsius pudere discant. Idem *in Isagoga loc. cit.* vocat *graves sententias*; quas censor noster clamat *fabellas* &c. Ut Mornæum Plessiacum, aliosque librum hunc citare dignatos ac modo indicatos prætercam, nostri, cùm ex professo criticam exercent, & à genuinis Cypriani hoc scriptum distinguunt, suo loco eum relinquunt, ut *Cocus in Censura, Perkinsus in probl. cathol. Hottingerus in dissert. de abusu Patrum. Rivetus lib. 2. critici sacri cap. 15.* quamvis censuræ eum subjiciat, non tamen tam infestæ, ac censor noster. Errori Novatianorum eum patrocinari ait: sed ideo morio d cendus non est; nisi alios plerosque Patres, & ipsum Cyprianum eodem titulo insignire velimus; cujus errores & nævos aliquot notat *Scultetus lib. 8. Medullæ Patrum cap. 24.* & nominatim periculosa nonnulla in sermone de Lapsis, Novati errorem redolentia. *Fabellas futilissimas & nænias putidissimas*, quas censor hyperbolicè exaggerat, si annotasset, potuisset judicium de iis ferri. Saltem tam rigidè non debet vapulare, quod in sui temporis presbyteros aleatores calamum strinxerit, & hodiernos presbyteros chartarum lusibus se oblectantes (quos forte censor in o-
 culis

culis habebat, cum ante annum 1620. pro aleâ publice inciperet pugnare) per latus eorum pupugerit. Atque hæc de testimoniis patrum. Unde judicium fiat, de censoris assertione: *De chartis, de alea, ne γρῦ quidem.* Ubi Augustinum & Chrysostomum à me cit. innuit. De illo ex allegatis judicet lector. In isto fateor loc. cit. chartas & aleam exsertè non reperiri, sed primò *ludos* in genere, deinde applicari ludis theatralibus Qui ludos in genere, & theatrales in specie, & ludentes ac *delicianntes* tantopere perstringit, quis dicet eum excipi voluisse ludos aleæ, etiam sanioribus Ethnicis improbatos, ac non potius acres illas invectivas iisdem per subsumtionem aut analogiam applicatas? Docet hoc *homil. 22. in epist. ad Ephesios*, quam etiam citat *Rittershusius lib. 8. lect. sacr. cap. 5.* ubi ait filium à patre posse *exhæredari* si copulaverit se iis, qui patrem molestia affecerunt, *quique tesseris & aleæ lusui dediti*. Nec plane acriticè conjicit *Stuckius 3. convival. c. 22. Chrysostomum loc. cit. in Matth. 6.* dicentem, *Deum non invenisse ludum, sed diabolum*, allusisse ad Phædrum Platonis, ubi dicitur *Ægyptiorum dæmonium* (quod illi Theut appellabant) *aleam & talos invenisse.*

Appen-

APPENDIX.

Exhibens communem theologorum in improbandâ aleâ consensum.

Inter scriptores Gallos *Danaeus* in *tract. supra cit & Isagogae part.* 4. *lib.* 4. *qui est de potestate ecclesiae c.* 28. ubi aleae lusum inter *turpes* & *inhonestos* numerat & semper etjam à veteribus patribus sic reputatum *esse dicit.Tossanus in Actor.* 1. *ad quaest.* An hodiè sit usus sortium, respondet *parce,religiose,& non nisi in summa necessitate iis utendum.*

Rivetus comment. in Psal. 22. anno 1626 edito: *merito propter irreverentiam & necessitatis defectum damnantur aleae, aut tesserarum, calculorum, & chartarum ludi &c.* Eandem sententiam Proponit *in explicat. decalogi anno* 1632 *edita*; ubi probat Danaei praeceptoris sui defensionem in libello de aleâ. Eandem repetiit anno 1642. *in Institutione principis gallice, dial.* 17. Apud quem invenies pleraque illa, quae censor noster in meis thesibus temere & satyricè perstrinxit. *Calvinus in commentar. ad Act.* 1, *v.* 26. determinaturus contra illos, qui sortiri totum nefas esse putant, sic loquitur: *Sed quum Magistratus inter se provincias sortiuntur, & fratres haereditatem, res est licita, idque clare testatur Salomo, quum*

Deum facit eventus moderatorem. Prov. 16. *vers.* 33. Hos ergo casus necessitatis aut magnæ utilitatis ab abusu nominis divini cum excipit, satis apparet contra reliqua (aut vana aut otiosa) legem ab illo confirmari. *Idem in Jonæ.* 1. *v.* 7. ait non omnes sortes promiscue damnandas; sed nec *promiscue usurpandas.* Et excipit, solas sortes divisorias, tanquam *partem ordinis politici: ne qua sit æmulatio, ubi quisque volet ad se partem aliquam trahere, illic sors dirimet omnes lites. Tale sortiendi genus est tam verbo Dei, quam legibus permissum.* Paulo ante: *Salomon dicit sortes non exire fortuitò, sed Dei providentia.* Mercerus in Jonæ 1. *Aliàs sors per se mala non est, quippe quum à domino temperetur* Prov. 16. *& ad componendas vel gravissimas lites plurimum valeat.* Et Postea: *nec enim passim nec temere sortibus utendum.*

J. L. de Beaulieu pastor ecclesiarum in præfecturis de *Mante* & de Magni &c. in Galliâ, postquam in cursu ministerii per 50. annos, à lusibus & choreis assiduò suos dehortatus esset, anno 1607. summam toties dictorum scripto vernaculo complexus est, tit. *Instructionis de honestis Christianorum recreationibus.* Qui liber demum excusus fuit Salmurii in 8. anno 1609. apud

pud Thomam Portæum. Ubi *part.* 3. *pag.* 167. cum 170. pronunciat ludos aleæ aliosque merâ sortitione peragendos, esse *in totum rejiciendos, & è medio Christianorum proscribendos: cum plane nihil sit in iis, quod eos excusare queat, nec finis honestæ recreationis illic locum habeat. Non sit exercitium corporis, aut magis animi.* Post plures rationes dissuasorias, addit tandem *pag.* 174. *Qui agnoscit, sortem projici in gremium, sed eventum esse à domino Prov.* 16. *vers.* 33. *& scit sortem esse, ut Deo tribuatur judicium & dispositio in rebus momentosis, nunquam sibi licentiam concedet sortem in lusibus jaciendi, & quidem tantis insuper consequentibus aut comitantibus incommodis: ut Deum faciat spectatorem, sed & ministrum excessuum & perturbationum, quæ ordinariò illic adsunt.*

Franc. Junius in comment. ad Jonæ 1. *Nam sortitio res religiosa est. Sortitionis religionem ex comparatione demonstramus, hoc modo: Quæcunque dubia sunt, aut per controvertentes dirimuntur judiciorum forma, aut per unum ex controvertentibus juris jurandi religione, aut denique per auctoritatem Dei religione sortis: quam rem tum exempla in scripturis sacris demonstrant locupletissime, tum sapientis autoritas* Prov. 16.

33. *In sinum, inquit, projicitur sors, sed à Jehova est tota ratio illius: ac prout in jurejurando religionem divini nominis, ita in sortitione religionem divini operis justa reverentia oportet observari.*

Augustin. Marloratus in Actor. 1. ab illicito sortis abusu excipit electionem ex duobus æqualibus ad aliquod munus, & divisionem provinciarum atque hæreditatum: *idque*, inquit, *clare testatur Salomo, cum Deum facit eventus authorem, Proverb.* 16. *vers.* 33.

Theologi Britanni. *Georgius Downamus* episcopus Derryensis *in tabellis virtutum & peccatorum juxta ordinem decalogi* Anglicè anno 1620. *Londini editis*, aleæ & chartarum ludos inter peccata numerat, *quod in nugis, lusibus, jocis non oporteat ad immediatam Dei providentiam provocare.*

Perkinsus in casibus conscientiæ supra cit. Idem in serie causarum salutis & damnationis cap. 22. *Sortes* (è jactu & inspectione alearum &c. uti modo tales designârat) *non nisi cum magnâ reverentiâ usurpandæ sunt, quia immediatè à Deo disponuntur, & earum genuinus usus est, ut deserviant decisioni litium maximarum Prov.* 16. 33. *&* 18. *vers.* 18. Cartwrightus in comment. ad Proverb. 18. vers. 18. dicit, *sortem esse Dei*

mun-

mundi judicii quasi vicarium, quâ *Deus ipse de rebus dubiis, & nullâ hominum arte, aut ingenio investigandis decernit.* Idem in cap. 16. *v.* 33. Quod sortem appellat *judicium, docet non nisi in rebus gravioribus & alicujus magni momenti ad sortis judicium recurrendum, maxime cum per sortem Deus ipse in judicio sedeat. Sicut enim Deus per Jethronem consuluit, ut caussis levioribus ab aliis judicibus dijudicatis, difficiles Mosis cognitioni reservarentur: sic Deus instituit, ut quæ nullâ cujusquam ingenii vi & perspicientia, causa dignosci posset, ad se per sortis judicium deferretur.* Et Paulo post: *Hinc liquet quantus apud nos hujus sanctiss. Dei judicii abusus, qui ad res minimas levissimasque ad ludum & jocum sortem adhibemus: cum nulli rei sors adhibenda sit, cui preces & fervens ad Deum oratio adhibenda non sit.* Fennerus in sua theologia a. 1585. edita & à Cartwrichto commendata lib. 5: cap. 6. Sortem definit, *medium à Deo constitutum. quo ipse controversias, quæ aliter ab hominibus dirimi non possunt, componit.* Prov. 16. 33. & 18. *v.* 18. Numer. 26. 55. Jos. 14. 2. Levit. 16. 8. *Ad hanc præparatio; quæ requiritur, est, ut ex hujus necessitatis sensu, Deum in hoc medio adeamus,* Prov. 16. 33. *Adjuncta dispositio est, ut*

precibus ad Deum peractis ab ipsius nutu pendeamus. Fructus est, ut animo pacato & jucundo in Dei judicio acquiescamus, Prov. 18. 18. *Idem Fennerus in tract. anglico de recreationibus*, aleas & chartas condemnat. *Willetus* celebris & eruditus commentator, *ad Levitic.* 16. *qu.* 12. Quamvis ludos mixtos plus artis quam casus habentes putet esse tolerabiles, quod definitio sortis illis non conveniat; omnes tamen merâ sorte constantes absolutè condemnat, quippe repugnantes pietati, sanctitati, charitati. „Repugnant *pietati*, quia profanant sortem, eâque in rebus leviculis, abutuntur, quæ à Deo ordinata est ad res graves & momentosas, cujus in scripturis nullum exstat exemplum: & cum sors à Deo dirigatur admodum profanum est petere divinam assistentiam in rebus frivolis, ridiculis, & subinde in vitiosis conatibus. „Repugnant morum *sanctitati*, quia revocant corruptos usus Gentilium &c. Repugnant *charitati*; quia deprivant homines suis bonis &c.

Inter scriptores Germanos & Helvetios, Oecolampadius commentar. in Jonæ. 1 *Non omnino improbanda sortilegia in rebus dubiis, ubi deest omne auxilium humanum, in gloriam Dei. Est enim Deus rex, omnium media-*

mediator &c. Idem servandum in juramento. Pomeranus in Jonæ 1. *sorte uti licet, quam concorditer inter se homines eligunt, ad pacem mutuo faciendam. Tunc sors Dei donum est, pacem faciens, & in charitate retinens. Sic* Actor 1. *de Matthia. Sic lis inter hæredes de bonis dirimi potest si sortem elegerint.*

Aretius part. 1. *problematum, loco* 67. sortem esse in se rem adiaphoram; aliquam itaque esse licitam *& honestam, quæ bono fine & forma à Deo approbata adhibetur.* Eamque dividit in consultoriam & distributivam. Prior est, *cum pii quid agendum sit dubitantes, Deum de futuro eventu hoc modo consulunt, ut si in eadem persecutione plures sint ministri boni & parati ad instans periculum, tamen ne omnes intereant, Dominus consulatur per sortes, quibus abire liceat, quibus manendum sit.* posterior est, *cum dubitamus quid cuique sit attribuendum, idque tam in distribuendis præmiis, ut in dividenda præda, quam in honoribus.* Probat autem tales sortes esse licitas, ex autoritate Augustini (*in Ps.* 30.) & Lutheri *in Jonæ* 1. & *quia* à Deo ad bonum finem gubernantur, juxta *Prov,* 16. *v.* 33. *quia* à domino ortum habent & manifestam approbationem *Levitic.* 16. *Jos.* 15. *quia* pii his sunt usi

laudabiliter, *quia* faciunt ad gloriam Dei *nam*, inquit, *pii hac quasi ultima utentes cautione, domino deferunt judicium, ub longius non potest progredi humana sagacitas. Quia* denique in rebus politicis magnæ controversiæ & lites inexplicabiles consensu sortium finiuntur. Tandem § 6. addit *quid in sortibus imprimis cavendum sit.* Primum, ne *facile ad sortes descendamus*: sed in summè necessariis *tanquam ad extremam confugientes anchoram. Deinde cavenda hic imprimis superstitio & curiositas: sed piè expectandus hic eventus à domino, ut est Proverb.* 16. &c. Aretium sequitur & citat *Keckermannus lib. 1. Politicæ cap. 4. &* scriptor Anonymus, qui libris sex de statu civili totam politicam, ex autoribus ante editis collectam complexus est. Francofurti anno 1617. apud Egenolphum Emmelium: ubi *lib. 1. discursu* 12. & 47. agit de electione Magistratus per sortem. *Conradus Pellicanus commentar. in Proverbia cap.* 16. 33. Postquam ex hoc loco & usu sanctorum Deo astipulante probasset nec de se malum nec impium esse sortes mittere; subjicit, *Hodie quoque sortibus uti liceret, si fieret in fide generalis providentiæ Dei, pro gravibus rebus, ad honorem Dei spectantibus, pro charitate &*

pace,

pace, quæ verbo Dei claro alioqui discerni & absolvi non possent, prævia etiam oratione. Idem in Jonæ 1. v. 7. *Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, Gentiles erant &c. Alioqui dum res postulat, aliter non finienda, ex fide in providentiam Dei, oratione præmissa, urgente necessitate, instinctu Dei, non spiritu vanitatis, non ad tentandum Deum, sors admittitur, & sanctis quoque in usu est.*

Joh. Wollebius lib. 2. Christ. theologiæ cap. 6. *Sors seu sortilegium est exploratio ejus, quod cuique à Deo destinatum in divisionibus, ob componendas lites, externis signis facta.* Dividit ibidem sortes in divinas & humanas.

Illarum exempla ostendit *Levit. 16. Jos. 7. 1 Sam. 10. Nehem. 11. Jon. 1. Actor. 1.* sed nobis non imitanda, *quod mandato destituamur. Hæ vero (divisoriæ dictæ) usurpari possunt, sic tamen ut persuasum habeamus eas à Deo regi, Prov. 16.*

Joh. Piscator in Actor. 1. *Sortes adhibendæ sunt in rebus magni momenti: quia per eas exploratur arcana Dei voluntas. Quare qui sortes adhibent in rebus ludicris, ut hodie usitatum est in olla, quam denominant à fortuna: illi sanctum Dei nomen in vanum usurpant.* Conferri possunt ejusdem notæ

in

in Biblia Germanica *Proverb.* 18. & *Nehemiæ* 11.

Nobiliss. vir, *Joh. Munster à Vortlage*, scriptis theologicis vernaculè editis in Germaniâ satis celebris, *tract. de alea Paschasii Justi Belgæ, professione medici, anno* 1560. *editum anno* 1618. *in* 4. *Neapoli Nemetum* recudendum edidit, collectaneis tam veterum quam recentium autorum de sortibus, aleæ, taxillorum, & chartarum ludo auctiorem. Sunt autem autores illi Cyprianus, Sarisberiensis, Lyra, Petrarcha, Lutherus, Calvinus, Martyr, Marloratus, Brentius, Bullingerus, Aretius, Stuckius, Taffinus, Danæus, Toletus, Wesenbecius, Menochius, Tholosanus, Clarus, Damhouderius, Mascardus, Cujacius, Maranta, Follerius, Schneidewinus, Maximilianus 2. Respublica Nurebergensis, Ecclesiasticæ constitutiones Genevenses. Inter Jureconsultos Germanos, qui studium theologiæ, antiquitatum, literarum cum studio juris haut vulgariter conjunxit *Conr. Rittershusius lib.* 8. *lectionum sacr. cap.* 2. aleatores & aleæ incommoda persequitur.

Daniel Tilenus Silesius, theologus Sedanensis & tunc temporis inter orthodoxos satis celebris *part.* 1. *Syntagmatis disp.* 42. §. 30. sic statuebat: *Ut juramentorum sic sortium*

tium usus, non nisi in rebus justis & gravibus probatur. Nam utrobique divinæ providentiæ experimentum capitur. Et §. 32. Humanis seu divisoriis sortibus *piè & religiosè uti licet; quandoquidem eundem fere præstant usum, quem legitima juramenta, nempe ut prohibeantur certamina & controversiæ abrumpantur.* Vide & §. 33.

Joh. Jacobus Grynæus in comment. ad Jonæ 1. in genere definit, *ritum in quo ad rei dubiæ dijudicationem, adhibitis notis, quæ non nisi ex pacto valent, Deo arbitrium permittitur.* Postea subdit: *si lites aliàs legitimè componi nequeant, bona conscientia sortes adhiberi possunt, si modo disceptantes parati sint stare arbitrio Dei.*

Theod. Thummius theologus Tubingensis in explicatione decalogi ad 1. *præc. pag.* 43. distinguit sortes in civilem, divinatoriam, lusoriam. Postrema, inquit, decoctoribus & „suorum sudorem absumentibus nimis fa„miliaris, uti nullâ verbi divini autoritate „fulcitur, ita nihil aliud quam *divinæ insti„tutionis abusus*, & *malitiosa perversio est.* „*SORS CIVILIS* in verbo fundatur, *Pro„verb.* 16. *vers.* 33. *cap.* 18. 18. quæ si le„gitimè, in casu necessitatis, unà cum divi„ni nominis invocatione, eventusque à solo „DEO expectatione adhibeatur, in litibus diri-

„dirimendis & ſopiendis, in latifundiis & „hæreditatibus herciſcendis, in muneribus „inſuper & muniis inter æqualiter aptos di- „ſtribuendis, inſignem præſtat uſum, ſicut „Teſtimoniis & exemplis Sacrarum litera- „rum comprobatur.

Ludov. Lavaterus comment. in 1. *Paralip.* 27. conceſſis quibuſdam ſortibus, diviſoriis ſcil. addit hanc cautelam: *in licitis quoque ſortibus cautè eſt agendum, ne peccemus. Idem in comment. ad Proverb.* 16. & 18 & *comment. in Judic.* 20. licitum ſortium uſum earum circumſcribit, neceſſitate finis ad vitandas contentiones. Similia habet *ho- „mil.* 38. *in Nehem.* 11. *v.* 1. *pag.* 87. Pru- „denter autem ſortibus uſi ſunt. Solomon „dicit Proverbiorum 18. verſu 18. diſſen- „ſiones quieſcere facit ſors, & inter fortes „dividit. Homines quantumvis feroces, „ſortis decreto acquieſcunt qualiſcunque „ſit. Ideo hodie quoque ſi periculoſa & mo- „leſta negocia ſuſcipienda ſint, ſæpenume- „ro ſorte exploramus quis hoc vel illud fa- „cere debeat. Pii ſciunt ſortes à Deo tem- „perari. Proverbiorum cap. 16, verſu 33. „In ſinum projicitur ſors, at à Domino eſt „totum judicium ejus. Impii fortunæ hæc „aſcribunt.

Mathias Martinius in Onomaſtico, dividit

dit sortes in divinas, diabolicas, humanas seu politicas. Postremas dicit esse licitas, & subdividit in divisorias, & consultatorias: illis in rebus communibus partiendis, istas in liberis electionibus personarum licitas concedit: sed utrique hanc cautelam applicat: *nota*, inquit, *non temere esse ad sortes deveniendum, sed tum demum, cum aliter commodè res aliqua decidi aut concludi non potest; & quidem cum reverentia Dei, citra ejus tentationem, & contemtum, sine ulla impostura. Spiegelius*, & ex eo *Joh. Calvinus Wetteranus in lexico juridico*, in voce *sors summa est*, observari vult maximum discrimen inter sortem, quæ controversias tollit, alens concordiam præsentissimâ definitione, in quam partes consentiunt liberè; & inter sortem quæ aufert bona, parit rixas &c. *Hujus*, inquit, *autor Satan est: priorem Deus moderatur, ad conciliationem dissidentium animorum. Ibidem* in voce *sors*, ait eam *in dubio, scil. honesto, declarare voluntatem Dei. Unde solebant olim, & jam nunc solent inter conjunctissimos, incidentes controversiæ per sortem dirimi*: ibidem advocat *graviter* dictum, ab *Augustino in Psal.* 30 *sors est*, inquit, &c.

Lutherus(ad quem etiam provocant *Zanchius*, *& Joh. Munster, locis cit.*) *in Jonæ*

1.v.

1.v.7.dicit *missionem sortis esse opus* (*N.B.*) *fidei: quo tamen ex libidine & pravo affectu aliqui abutuntur nonnunquam; ut multi abutuntur juramento & potestate gladii, sed ibi vitium est non in opere, sed in persona.* Paulo post negat sortem ex se esse Dei tentationem; *sed*, inquit, *ibi duo aut tres aut plures paciscuntur & conveniunt de aliquo negotio sorte finiendo &c. Nec eligunt certam personam, sed permittunt Deo eventum.* Et de hoc tantum convenit inter eos, „ut ille sit electus à Deo, super quem sors „ceciderit. Verùm etiam sine Deo sortem „mitti non inficiamur, ut si gentiles mittant „sortem, qui non credunt eam à Domino „temperari, sed omnia fortunæ tribuunt, „ut in tesseris & aleá fit, & ludis illis, qui in „fortunæ siti sunt arbitrio. Christianos au„tem aliud quiddam decet, nempe non „fortunæ multum tribuere, sed credere, „quod sors & fortuna Deo in manu sint, „hæc omnia gubernanti, Christianos decet, „certè statuere, quòd à Deo datur & eripi„tur, quicquid sors aut fortuna dat, vel eri„pit. Nam & juramenta sic præstantur & „acceptantur, quod Deus creditur adesse, „qui jurantem audit & videt, & pejerantem „judicaturus sit. Verùm quia non præscri„bitur ei, quomodo judicare debeat, sed

res

,,res tota permittitur illi, & statur jurato,
,,Non est tentare Deum jurato parere aut
,,stare. Sic etiam in missione sortis, quia
,,non præscribitur Deo, cui dare debeat ea,
,,super quibus sors mittitur, sed permitti-
,,tur, illi sortem gubernanti, nunc mittere
,,sortem, non est tentare Deum, sed est per
,,se bonum opus, & si in fide fit, est etiam
,,commendabile, quod fit ad gloriam Dei.
,,Et cui per sortem aliquid adjicitur, is fit
,,ejus rei Dominus, & qui ei eriperet, is
,,peccaret graviter contra Deum. Nam quid
,,est sors aliud, quàm pactum, ubi de ali-
,,quá re vel lucro inter nos convenit? ubi
,,commune subimus periculum, quo sors
,,cadat, aut feratur, ut scilicet ille habeat
,,vel careat, secundum quod par impar, vel
,,alia sors missa ceciderit, nisi quod Chri-
,,stiani hoc addunt, quod credunt à Domi-
,,no sortem, ut alia omnia temperari, &
,,gubernari, quod Ethnici non credunt. Alibi, in *præc* 7. (*tom.* 1. *lat. Witteberg. fol.* 42.) qui aleâ ludunt propter lucrum dicit *fures coram Deo.*

Joh. Gul. Stuckius lib. 3. *convival. cap.* 22. exemplis, judiciis, legibus, ostendit debere à Christianis alienos esse ludos *fortunæ mutabilitati subjectos, in quo non artis peritia, ratio, consilium, sapientia, sed casus, fortu-*

tuna, temeritas atque etiam fallacia &c. locum obtinent; ut sunt chartæ, tesseræ, pyrgus &c. Ibid. occurrit exceptionibus quibusdam; „tandem excusat quod tam multus fuerit in „ludo hoc insectando: Sed quorsum in„quies, tam multa de aleâ? Propterea, quòd „illa otii, commessationumque plerumque „comes est, atque socia, quam Christiani „hodiè passim cùm ingenti & publicarum & „privatarum suarum rerum, fortunarum„que damno ac detrimento impunè ma„gnâque cum licentiâ exercent, cùm tamen „& ratio ipsa & leges divinæ atque huma„næ, & sanctissimorum patrum authoritas „& ipsa experientia quotidiana hunc ludum „turpem, inhonestum, impium ac da„mnosissimum esse doceat. De quo plura, „qui cognoscere cupit, is legat *Ambrosium „in libr. de Tobiâ. cap.* 11. *Nicolaum de Ly„râ in suo præceptorio. P. Martyrem in lib. „Judic. cap.* 14. *Lamberti Danæi libellum „de alea, Cæl. Rhodig. lib.* 18. *cap.* 30. *M. „Mantuam in Polymath. lib.* 8. *cap.* 9 u„bi docet ludum esse crimen, & malorum „Dæmonum inventum,

Salmuthus ad Pancirollam pag. 174. *ad Pancirollæ res deperditas tit.* 44. ex Jureconsultorum consensu docet, quibus casibus (quos brevitatis causâ hic non exscribo) *ad*

ad fortis judicium liceat recurrere. Communi, inquit, *D D. calculo receptum est, non cuivis hoc integrum esse. passim & indistinctè licere, sed tum demum cum dubium de jure vertitur, factum autem certum est.* Sed de excipiendo casu ludi ne gry: quin contra exsertè & severè jure prohibitum; clericis tam rigidè, ut ne quidem eum spectare ipsis permitteretur. De quo infra. *Peucerus de divinat. tit. de sortibus pag.* „398. Non adversatur aut repugnat au-„thoritati sacrarum literarum, usus legiti-„mus hujus politicæ consuetudinis sortien-„di. Approbant enim illæ, non abrogant „constitutiones politicas, ex insitis nobis „notionibus derivatas, rationi consonas & „huic conjunctioni tuendæ accommoda-„tas, qua inter se sociati copulatique vivunt „homines: Et serio vocatum Deum adesse, „& gubernare illas, vel rerum sortito parti-„tiones, vel designationes atque delectus „personarum, aptarum certis muneribus, „pro ut privatim singulis, & publice com-„muni statui commodum est, ac salutare „monent exempla historiæ sacræ. Quare „ad sortitiones, de Magistratibus, & mu-„neribus publicis, à quibus incolumitas „pendet, & stabilitas publici ordinis, præci-„pua reverentia accedere, & precari conve-

nit,

„nit, eas ut dirigat Deus, & quos tantis re-„bus gerendis idoneos judicet, ipse forte in-„dicet, atque eosdem instruat consilio & sa-„pientia, & fortunet eorum industriam.

Conr. Rittershusius, qui studia theologiæ, antiquitatum ecclesiasticarum, poëticæ, utriusque literaturæ, præsertim græcæ, cum Jurisprudentiâ feliciter conjungi posse, editione Oppiani, Salviani, Isidori Pelusiotæ, Lectionum sacrarum abundè demonstravit; omittere noluit, quin cacoëthes hoc *lib.* 8. *lect. sacr. cap.* 2 perstringeret.

Joh. Althusius, insignis inter Jureconsultos & politicos tum dogmaticus tum practicus, juxta ac eximius theologus (quod ex parte edita ipsius scripta, sed magis inedita theologica testantur) *lib.* 1. *dicaiolog. c.* cxi. *ludis in honestis* annumerat, *chartarum, taxillorum, tesserarum* &c. *in ancipiti arbitrio fortunæ & sordibus, non in corporis vel ingenii viribus consistentium.*

J B, Schuppius ecclesiastes Hamburgensis in editâ concione de sanctificatione sabbathi ad Exod. 20, vers. 8.-- 12. inter alias profanationes quas graviter & patheticè perstringit, Num. 7. ludum chartarum, dicit Deo pariter displicere ac inebriationem. *Ingurgitare*, inquit, *hominem replet, ludere eundem ad insaniam redigit.* Ludo per-

perdentes & lucrantes vocat *fures*. Demonstrat lusores peccare plerumque seu communiter contra omnia Dei præcepta.

Theologi Itali. Martyr ad 1. *Sam.* 10. *v.* 19. Omnes sortes distinguit in divinas, consultorias, divisorias; & disquirens de opinione Hieronymi & Augustini, quorum ille omnem usum sortium repudiabat, hic aliquo in casu concedebat; cum posteriori determinat, additâ hâc cautione, *ne temere ad sortes veniamus &c. & nisi necessitas cogat. Necessitas autem judicanda est, si quid occurrat quod faciat ad gloriam Dei, aut ædificationem ecclesiæ, quod humanâ prudentiâ despicere non possis. Ita fratres inter se dividunt hæreditates, & Romani olim, ut dissidia tollerentur, sortiri solebant causas. Proximum est, ne quid temere fiat: oportet enim ad sortes accedere religiosè & reverenter.*

Zanchius de oper. redemtionis lib. 1. *cap.* 17. *thesi* 5. *pag.* 474. Omnes sortes distinguit, in divinas, diabolicas, politicas. *Illas* definit, quæ cum invocatione Dei pro rebus & negotiis divinis jaciuntur, & quarum eventus à Deo revelante exspectatur. *Istas*, quarum exitus, à Diabolo immediatè, aut indirectè & mediatè cœlorum scil. dispositione exspectatur. *Has*, quæ pro

„rebus politicis suscipiuntur, ita tamen, ut „etiam harum eventus à Deo exspectetur, „qui sua manu illas moderatur, ut ait Sa„lomon Proverb. 16. *Sortes jaciuntur in „sinum, sed à Domino est omne illarum ju„dicium.* Quales sunt sortes, quibus in divi„dendis hæreditatibus aliisve rebus utimur: „aut quibus sortimur in consiliis & Magi„stratibus eligendis. Hæ sortes damnari non „possunt, modò absit temeritas primò. „Non enim ad sortem veniendum est, nisi „ubi necessitas urget. Nam alioqui cedunt „in comtemtum Dei, & tentatur Deus cùm „ordinariis mediis neglectis, miraculum à „Deo exspectamus. Secundò, absit irreve„rentia nominis Dei. Est enim invocandus „Deus etiam in his sortibus, quemadmo„dum videmus servatum fuisse à viris piis in „sacris literis. Idem in tract. de divinatione pag. 95. edit. Hanov. in 8. *Peccant ergo, qui pro quavis re levissimâ, vel etiam turpi sortiuntur, ut passim, præsertim apud Papistas fit. Nisi enim res sint quæ ad gloriam Dei, vel ad ædificationem ecclesiæ, vel ad publicam pacem & bonum, vel denique ad fraternam caritatem faciant, de illis sortiendum non est.*

Et pag. 81. *sortibus uti est Dei institutio, & judicium Dei appellatur in scripturis,*

ris, estque ceu jus naturale omnium populorum consuetudine confirmatum.

Et *pag.* 85. definit sortem, quod sit *actio humana, certis quidem rationibus constans, ad incertos autem diversosque exitus, Numinis judicio atque arbitrio exposita, idque ut ex ejus eventu, aliquid vel prorsus occultum nobis innotescat: vel controversum inter nos componatur.*

Et *pag.* 86. *Minus honesti* (sortitionis modi), *ut talos & tesseras jacere, ut chartulis depictis, sicuti vulgò fit ab impiis, ludere.*

Joh. Deodatus in notis ad biblia Italica Proverb. 16. 33. *Deus dirigit per suam providentiam omnem eventum sortis, adhibitae scil. legitime & in rebus necessariis; quae est tanquam suprema judicis sententia.*

Inter Theologos Belgas, Andr. Ger. Hyperius, in part. 2. opusculorum theologic. tract. de probatione sui ipsius cap. 4. pag. 434. *Ludens pecuniâ. Num ludum aliquem vetitum usurparit, quales sunt aleae &c. Josias van Houten, Godefr. Udemans* aliique in interpretatione decalogi. Instar omnium sint *Taffinus*, & *Wilh. Teellingus. Ille* in libro *de emendatione vitae lib.* 2. *c.* 19. ubi omnibus ludos illos horrori & detestationi esse debere contendit. *Iste* in *Necessaria demonstratione lib.* 5. *cap.* 12. ubi inter pec-

cata adversus 3. praec. numerat: *aleis & chartis ludere abutendo providentiâ divinâ, & per ludum sortes mittendo.* Ibidem improbat vulgò dictas *loterias.* Qui liber à facultatibus theologicis Leidensi & Franequeranâ approbatus est, subscriptis nominibus *Polyandri, Riveti, Walei, Thysii, Amesii, Schotani, Sixtini Amama, Hachtingii.* Idem *Teellingius* vernaculo libello *precationum*, inseruit unam contra lusum aleæ & chartarum. *Lucas Trelcatius junior* Theologus Leidensis *in antidoto pestis p.* 518. edit. in 8. inter peccata iram Dei concitantia juxta ordinem decalogi recenset *deceptiones per lusus alearum illicitos.* Nota, lusus illi esse illicitos. Insistebat scil communi doctrinæ & praxi ministrorum in Belgio, præsertim piissimi parentis sui, in eâdem ecclesiâ Gallobelgicâ & Academiâ prædecessoris. *Daniel Souterius in suo Palamede lib.* 3. *cap.*8. cui talem titulum præponit. *Chartarum lusoriarum ludi scurriles.* Et caput sic inchoat: *Chartæ lusoriæ fortuitæ sunt, & à perditis hominibus inventæ, qui quamvis nostro quoque sæculo damnentur adeo, ut piaculum videatur, illis tamen luditur.* lib. 2. cap. 5. vocat *ludum inhonestum, orthodoxis patribus merito invisum.* cap. 9. *esse damnandum, turpem, & Chri*

stiano

stiano homine indignum, infamem, flagitium. cap. 10. ex Cujacio ad Cod. lib. 3. tit. 43. *Est autem non leve crimen, si quis vetitâ luserit aleâ; cujus odio multa singulariter recepta sunt*. Ibid. pag 190. *præter alios flagitiis pollutos, aleatores à cœna domini quoque arcendos esse* cap. 11. *aleæ lusum contemnendum, Deoque summopere displicere*. Lib. 3. cap. 1. *aleæ fritillique lusum ex albo honestorum ludorum expungimus* Cap. 10. *Apud nos sexcenti sunt modi ludendi ad aleam: est enim alea omnis ludus, qui in varietate fortunæ constat*. Et hanc inter complures alias rationem adfert lib. 2. cap. 5 *Omnino hic ludus aleæ, patrum sententia vehementer improbatur, ut pote qui ludus fortunæ mutabilitati maximè subjectus est, ac in quo non artis peritia, non ratio, consilium, aut sapientia, sed casus, fortuna, temeritas, fallacia, dolus, atque astutia locum obtinent*.

Antonius Waleus part. 2. operum pag. 103. A Deo est tota ratio, judicium ejus, id est, sententia, quæ quasi per sortem pronuntiatur, ut lis finiatur. Confer ejusdem approbationem libri Teellingii modo relatam, *Spanhemius* Genevensis postea Leydensis Academiæ Professor *part, 2. dub. euangel. p. 223. sors est vox Dei.*

Belgis theologis adnumerari debent, qui extranei quidem, sed quia in Academiâ Leidensi docuerunt, tanquam communes Belgarum præceptores habendi. Quales *Danæus*, *Fr. Junius*, *Rivetus* modo citati. Illis adjunge *Amesium* supra *cit.* qui in Acad. Franequeranâ Medullam suam, & Casus conscientiæ edidit, ibique causam hanc ex professo egit. Nec prætereundus *Joh. Cluto*, in *idea theologiæ*, quam autoritate theologicæ facultatis in Acad. Franequeranâ publicè examinandam proposuit, ubi *disp.* 41. §. 31. cum *disp.* 42. §. 19. haut obscurè huic sententiæ se favere ostendit.

Ecclesiæ in Poloniâ & Lithuaniâ in synodo generali Wlodislaviensi *a.* 1583. *artic.* 7. ostenderunt se aleas non numerare inter adiaphora. *Cum*, inquiunt, *multiplicata sint gravia scandala & enormia vitia, ebrietas, comessatio, prodigalitas, ludi alearum & chartarum, avaritia, usuræ, oppressio subditorum, erga proximos iniquitas non reddens cuilibet quod suum est, circumventiones, debitorum non solutiones, crudelitas, fastus, vestitus luxuriosus, choreæ, scortatio &c. & his similes abominationes ac peccata verbo Dei contraria, & plurimum mali secum vehentia &c.*

Ex

Ex ipsis Pontificiis aliqui, sive pruden- tes sive imprudentes, suisque (fortè & sibi i- psis) contradicentes, haut obscurè ludum nunc rejiciunt. *Thomas* 22. *qu.* 95. *art.*8. & *opusculo* 25. *quod est de sorte cap.* 6. necessitatem in usu sortis requirit, & exsertè de ludo taxillario pronuntiat, *quod non careat vanitate*. *Jesuita Bœnartius in comment. ad Esther*. 3. *v* 7. *pag.* 142. ad quæst. propositam, *Quotuplex sors, quæ licita, quæ illicita.* Ad- „verte tamen licitum esse sortibus uti, „quando humanum consilium non suppe- „tit in re arduâ & ancipiti. Tunc enim me- „ritò sperare quis potest Deum sortes illas „moderaturum juxta illud Proverb. 16, vers. „33. *Sortes mittuntur in sinum; sed à Do- „mino temperantur*: hoc tamen casu magnâ „cum reverentia & submissa ad Deum pre- „catione utendum. Quod certius est, quan- „do ad hoc excitat divina inspiratio, ut „accidit Josue cap. 7. ubi Achan prodi- „tus est reus sublati anathematis judicio sor- „tium.

Glossa juris canonici ad *c. Quod autem* 26. *qu.* 2. Sortes omnes distinguit in licitas & illicitas. *Illas* describit, quæ *fiunt ex necessitatis causa*, ut *si contentio esset de electione aliquorum* &c. *cum enim non superest*

humanum auxilium, tunc possumus recurrere ad divinum auxilium.

Thomas 22. *qu.* 95. *artic.*8. quem sequitur *Johannes Nider in tract. de lepra spirituali part.* 2. *cap.* 1. à sortibus damnatis excipiunt eas, *quarum judicium exspectatur à Deo, ut dicitur Proverb.* 16. Et tales negant esse illicitas. *Potest tamen*, inquit, *in hoc quadruplex peccatum incidere. Primò si quis absque ullâ necessitate ad sortes recurrat: quia per hoc videtur Deum tentare. Secundò si quis etiam in necessitate absque reverentiâ sortibus utatur.* &c. Similem limitationem complures immo plerique alii (quod sciam) adhibere solent. Aliter tamen *glossa ad cap.* 2. 26. *qu.* 2. & cum ea *Angelus de Clavasio in summa, ad quæstionem, Utrum sit licitum uti sorte in aliquo casu*, respondet, sortem divisoriam esse licitam *quando exspectatur eventus ex fortuna solum: & non sit aliqua superstitio, & in rebus temporalibus solum.* Graffiis paulò melius lib. 2. cap 4. sortes divisorias dicit licitas, *si à Deo ipsarum speratur directio*: scriptum *est enim contradictiones comprimit sors* Prov. 18. *Si vero à fortuna dirigendæ sperantur, vanum quidem refutabitur, sed non superstitiosum, ideoque nec mortale peccatum. D. Thomas & Cajetanus probant* 22.

qu.

qu. 95. *a.* 8. Josephus Augustinus Jesuita in brevi notitia eorum quæ confessariis necessaria &c. Antwerpiæ 1646. ad 1. præc. *Nam sortes divisoriæ quibus aliquæ res dividuntur in plures, non sunt per se illicitæ præcisè, nec sortes consultoriæ, quando subest probabilis causa, & exspectatur à Deo humiliter electio, cum aliter fieri commode nequit.*

Sixtus Senensis l. 5. *bibliothecæ annot.* 466. *ad quæst. num sortibus uti liceat*, Respondet ex Thoma per distinctionem sortium in eas quæ piè & religiosè, & in eas quæ superstitiosè & impiè tractantur & exercentur; atque ita controversiam tollit, quæ inter Augustini concessionem & sacri canonis prohibitionem versari videtur. Hinc sequitur ludicras ad prius distinctionis membrum referri non posse: cum non habeant quinque conditiones, quas ibidem ad sortes licitas requirit; quarum 1. ut rei propositæ divisio, vel consultatio & *prænotio, à solo Deo sortium directore, exspectetur.* 2. *ut non nisi compellente necessitate sortes exquirantur.* 3. *ut non nisi præmissis ad Deum precationibus tententur.* 4. *ne divinis oraculis ad sortium inquisitionem abutamur.* 5. *ne sortibus abutamur in electionibus ecclesiasticis. Andreas Masius*, præter verba supra ad *thesin* 2. citata, hæc habet *in Josuæ* 7. *Neque il-*

læ sortes sunt ferendæ, quibus male religiosum vulgus ad suas nundinationes, & ad quæstum faciendum divina oracula sollicitat. aliud est, cum de compacto fortunæ alea sollicitatur. Eas enim solas sortes (nota) *benigno suo nutu regere & temperare existimandus est Deus, quæ pro re nata ad publicam aut privatam hominum salutem procurandam, aut Dei gloriam illustrandam, justa cum reverentia & religione committuntur divino arbitrio.*

Tostatus episcopus Abulensis comment. in Levitic. quæst. 13. Quamvis disputet sortes imperfectionem aliquam in volvere, & ideo sub V. T. tantum adhibitas fuisse, tandem tamen concedere cogitur: *Cum aliquid per sortes factum est, nisi fraus aliqua intercedat; rationabiliter existimamus hoc specialiter factum à Deo.* Et postea infert, ecclesiam nunc non uti sorte, nisi in casibus quibusdam specialibus, *in quibus*, inquit, *aliter discerni non potest.*

Lessius lib. 2. *de Justitia & jure cap.* 26. *dubit.* 1. quamvis laicos & clericos per contrariam consuetudinem, à peccato & condemnatione canonum 41. & 42. Apostolorum (ita dictorum), & *cap. clerici, de vita & honest. clericor* & *Concil. Trid. sess.* 22. *c.* 1. *de reform.* juxta laxam & consuetam suorum

rum casuisticam absolvat; tamen vim veritatis continere non potuit, quin de legibus Justiniani, *lib.* 1. & 3. *C. de aleatoribus* pronuntiaret: *Ex quibus apparet, quanto meliores fuerint in hac causa mores illius ævi, quam hujus.*

Martinus Del Rio lib. 4. *disquis. magic. cap.* 4. *qu.* 1. ubi quatuor conditiones in divisoria sorte servandas dicit, *ut in illis nullum intercedat peccatum*: Primo debet „ eventus à Deo exspectari, & non à casu „ vel fortunâ, vel astris, quare & Deus in„ vocandus juxta illud; *in manu tua sortes* „ *meæ* (nota citari textum ex *Ps.* 31. „ juxta vulgatam versionem.) Si quis certò „ eventum exspectaret ab astris vel fato, „ (sumto, ut sumunt Stoici & Astrologi) „ mortaliter peccaret; si à casu vel fortunâ, „ fortunam non ut Gentiles (nam tunc esset „ mortale & tale idololatricum) sed ut Chri„ stiani sumunt Philosophi, accipiendo, in „ re gravi, foret veniale, in re levi vix „ (N B) esset peccatum. *Paulo post, quartam conditionem sic proponit*: Præcipua „ intentio debet esse, ut auferantur lites, „ discordiæ, querelæ, invidiæ: quod nos „ docuit Salomon *Proverb.* 18. *v.* 18. quare „ si aliter concordia posset iniri, res sorti „ non esset committenda: sin aliter nequit

 „ discor-

„ discordia sopiri, bonum pacis sortem „ permittit his conditionibus. Et exempla indicat ejusmodi necessarii usus, in militiâ quando inter plures pariter reos sors dividit, qui necandi, qui liberandi. Et tempore tempestatis, quis navi ejiciendus, & tempore pestilitatis, quis parochorum manere debeat, & tempore famis cui cedere debeat eleemosyna. Citatque ibidem insignem epistolam *Augustini ad Honoratum* 180. & *lib*. 1. *de doctr. Christ. cap*. 28. Si ergo aliquo in casu, ob necessitatem ad mala evitanda, ex ipsius sententia, permitti potest, utique lusus illi ad minimum ad facta otiosa & ad promptas malorum occasiones referendi, & consequenter non minus, quam verba otiosa (*Math*. 12. *v* 36.) vitandi. Equidem non video quomodo sortes ludicras, à vanitate excusare queant, convenienter determinationi *Thomæ loc. cit*. ubi casum necessitatis in divino judicio per sortes cum debita reverentia implorando requirit; & exspectationem eventus à fortuna ab accusatione vanitatis liberare non audet: *Joh. Sarisberiensis* Episcopus Carnutensis (qui floruit circa annum 1177.) *in Polycratico de nugis curialium lib*. 1. *cap*. 5. Inter alias rationes contra aleam, & hanc proponit: *Quis enim non erubescat si sortis suæ gratiam*

tiam non virtuti debeat, sed taxillis? Quis fritillo cautelam suæ prudentiæ non doleat anteponi? Nonne satis improbata est cujusque artis exercitatio, quâ quantò quisque doctior, tantò nequior. Jodocus Clichtoveus tract. de vitâ & moribus Sacerdotum cap. 19. aleas & taxillos, & chartas luforias, numerat inter ludos *turpes & inhonestos.* Et *fol.* 130. 6. (edit. Paris. in 16. 1549.) *quantumvis rarenter factus ille ludus, immo & semel suapte naturâ damnabilis est, & gravi semper obnoxius peccato.* Et quamvis *fol.* 132. quasi sibi contradicens aliquantulum labascat, ibidem tamen sic finit: *Certè à plerisque cum à modicis inceperint ludum pro animo relaxando, interdum jam luditur alea pernox &c. Quæ incommoda si quis devitare velit (velle autem debent omnes) ne hujusmodi ludis sorti fortuitæ subjectis unquam se exponat, summopere laborare, quoniam facile illis inviscaretur. Theodericus Gresemundus*, & ex eo *Nicol. Serrarius lib.* 5. *rerum Moguntiac. in Adolph.* 1 *pag.* 863. in descriptione cujusdam κατ' ἐξοχὴν improbi: *fuit autem appetentissimus ludi (aleæ scil.) ex quo pleraque vitiorum genera, tanquam vermes è putri cadavere ubertim erumpunt, præcipuè vero impietas erga Deum inde nascitur* &c. *Antonius*

Verdier part. 1. variar. lection. lib. 6. c. 6. dicit ludum aleæ & chartarum admodum malè convenire viro honesto, seu honorato: & nullum tempus pejus impendi & perdi quam tali ludo. Taxat ibidem scriptorem, qui Gallico poëmate tit, *epenopeptie* ludum hunc decantarat: exemplis, legibus, rationibus ad ludi hujus detestationem allatis inter alia exemplo cujusdam Curii ex *Asconio Pediano in orat. Ciceronis c. Antonium*, subjicit: *Hoc allego, ut monstrem, omnes lusores voluntariò esse vitiosos.* Et paulo post, allegatâ opinione Herodoti, de Lydiis sortium ludicrarum inventoribus, concludit: *Quomodocunque sit, & quisquis fuerit inventor, Diabolus hoc illi suggessit, & in mentem dedit, ex invidiâ, quâ fertur in genus humanum, ut quietem hominum turbaret, & alios induceret ad insaniam & ἀναισθησίαν, alios ad desperationem; alios ad sui suspendium. Ita ut inventio fuerit pernitiosissima ob effectus qui sequuntur, & quotidie eveniunt.* Possem huc advocare *Kovenium de Republ. Christianâ p. 477. Molinam de Justitia & Jure, Buseum in Panario, Thomam & Malderum loc cit.* aliosque complures, qui vel sortes ludicras fugiendas & detestandas docent, vel nullum sortium usum admittunt nisi

nisi in *necessitate imminente*, ubi *cum debita reverentia divinum judicium sortibus imploretur* (sic *Thomas loc. cit.*) vel in sorte divisoria *directionem sortis à Deo exquiri*, *& magnâ Dei providentiâ etiam temere missas sortes temperari*, (sic *Malderus*) objicientibus respondent: vel ludos illos *vitia*, *crimina*, *& flagitia* appellant (vide *Car. Musart. supra cit*). Sed hactenus allata sufficient. Ad cumulum accedant, vituperia & condemnationes aleæ apud Gentiles, quæ indicata vide apud *Aretium*, *Stuckium*, *Souterium*, *Taffinum*, *Danæum*, *Joh. Munsterum &c.* Illis jungatur *Muhammedus*, qui quamvis impurissimus & stolidissimus, subinde præcepta ex ratione & honestate naturali deducta inspargit: quale hoc *cap.* 5. seu *Suratâ cui tit.* אלמאירה *i.e. mensæ* (*in vulgata versione latina est cap.* 13.) *ferè sub finem*, ubi bis in forma prohibentur ludi sortis, tanquam *impuritates Diaboli*, per quas cultum Dei impedire & odia atque inimicitias in hominibus excitare conatur. Ex hoc edicto nata est apud Arabes Muhammedi sectatores vocis *itsm*, id est, *crimen*, *nefas* peculiaris significatio, quâ alea denotatur: uti ex lexicis Arabum à Golio observatum. Nec prætereundi Thalmudistæ, qui in Mi-

schna

schna *sanhedrin cap.* 3. §. 3. à judicio causæ pecuniariæ inter alios rejiciunt בקוביא המשחק 1. *ludentem cubo* seu *aleâ*. Rationes in Gemara variæ adferuntur: inter eas, quod acquisitum alea injustè acquisitum sit, quamvis contractus aliquis intercedat: est enim, uti loquuntur, *asmachta*, quod interpretatur *Seldenus lib. 6. de jure &c. cap.* 11. *contractum imperfectum* & *qui ex fortuna pendet*; & *Cochius in comment: ad Sanhedrin pag.* 27, ex *Davide de Pomis*: *votum aut fiduciam inanem & temerariam*; Buxdorfius in Lexico *fulcimentum sed leve, ex accidenti quodam desumtum, quod plene non probat. Maimonides part.* 4. *tract. Gesila*, ludentem aleâ, dicit esse raptorem. Vide *Lexicon Buxdorfii in voce* קוביא. Imprimis notandum quod ex iisdem *ibid. pagin.* 28. repetit Cochius: *aleatorum tunc probari resipiscentiam aiunt*; *quando fractis fritillis, ne pro nihilo quidem ludunt*. Atque ita etiam Gentilibus, Muhammedistis, Judæis supra alios ludos stigmatizatur ludus ille: qui an à Christianis temporis fallendi causâ exerceri, quin & peculiaribus libris tantâ cum contentione sine scandalo defendi possit, judicent Christiani. Monemus saltem omnes filios Prophetarum, ne quod pueri in scholis ex Catonis senten-

tiis magno Scaligero tantopere laudatis, benè didicerunt, *aleas fuge*, id juvenes in Academiis, aut viri in sacro ministerio constituti ex paradoxi alicujus alearum patroni velitatione turpiter dediscant.

Breviter Casuistæ, Canonistæ, Concionatores eorum, quidquid incrustent, tacitè aliquod ἅλημμα coguntur agnoscere (quod illi forte *peccatum veniale* appellarent) dum ea jure canonico omnibus clericis, & statutis regnorum quorundam, ex. gr. Hispaniæ, & ibi Academiæ Salmanticensis, (teste *Car. Musart. loc. cit.*) omnibus Laicis prohiberi agnoscunt: dumque tam periculosum, & tot tantisque malis obnoxium clamant, apud *Antoninum in summa*, *Lyram in præceptorio*, *Diez in summa prædicantium*: dum denique ludum talem à ludo schachico, torneamento, hastiludio, cursu, &c. distinguunt, quod in illo totum fortunæ committatur, nec virtus corporalis, aut humanum ingenium exerceatur, nec aliquid addiscatur, quod sit utile Reipublicæ, apud *Richardum de Media villa ad anacr. sequ.* Adeo ut iis applicari debeat, quod Cajetanus *in quodlibetis tit. de delectatione morosâ fol.* 149. edit. in 8. *Hujusmodi memoriæ* (viduarum scil. de conjugali actu præterito) *communiter sunt peccata venialia*:

venialia: quia carent piâ necessitate & utilitate. Similiter ferè *Sylvester de ludo aleari tit.* ludus §. 4. *Dico quod hic ludus non est peccatum, vel est veniale, quando luditur aliquid modicum causâ recreationis, vel convivii. Et in hoc omnes Doctores conveniunt, saltem quod ad Laicos.* Non possum præterire sententiam *Hieron. Savanorolæ in Eruditorio confessorum an.* 1510. Parisiis edito: ubi ad 8. *præc.* sub titulo, de ludo sic loquitur: *Porro qui faciunt chartas & taxillos non debent absolvi, nisi desistant ab hoc opere, & à talium venditione.* Unde constat, quantopere hunc ludum fugiendum & detestandum arbitrentur, supra omnes alios, à quibus absunt sortes.

GISB. VOETII.

Consectar. I. *Itaque ludis illis abstinendum, quia sors ad terminandam controversiam (ferè ut juramentum) peculiarem infert respectum ad Dei specialem providentiam. Atqui illa reverenter in rebus necessariis, cùm alia media non suppetunt, usurpanda est, non verò temerè, aut in lusibus; ut jam dictum est.*

THOM. GATAKERI.

1, De Sortis *respectu*, quem habere fingitur, *ad providentiam specialem*; deque paritatis ratione, quam ad *juramentum* obti-

obtinere censetur, *Ad Amesii Thesin* 2: 9. 23. *dictum est*; & in *Tract. de Sort. c.* 7. §. 8.

2. Ludis illis in universum abstineatur per me licet. Verum hâc ratione cur abstineatur, nulla prorsus est ratio.

3. Scire pervelim (*nam mysteria mera & ænigmata in materia ista mihi hice loquuntur*) *Dei providentiam specialem usurpare* quid sit. Siquidem formula ista mihi hactenus inaudita, nec apud scriptorem ullum, vel sanum, vel insanum, etiam uspiam reperta.

Anacrisis X.

§. *De sortis respectu quem habere fingitur ad providentiam specialem*] Non finxerunt præstantissimi nostri Theologi, inter quos censoris populares modo cit. sed satis evidenter demonstrarunt. Quibus nihil opponitur, nisi coccysmi partim simpliciter negantes, partim meram contingentiam iterantes. Nos supra *anacr.* 1. 3. 5 explicuimus, quomodo *specialis* Amesii & aliorum, & *immediata* Episcopi Downami providentia sit accipienda. Quam benè Amesii theses 2.9.23. refutatæ sint, videbit eruditiss. ejusdem hyperaspistes.

§. *Deque paritatis ratione, quam ad juramentum &c.*] Ante Amesium & me ex natura

natura sortis divisoriæ & doctrinâ Augustini comparationem inter terminationem controversi per juramentum & per sortem instituerunt Oecolampadius, Lutherus, Fr. Junius, Tilenus. *anacr.* 9. cit. Quin ipse censor *ad* 23. *thesin Amesii* fatetur, *ab aliis sæpe* hoc *inculcatum*. Sed illi omnes tanquam σκιαὶ ἀΐσσουσι, quia pro aleâ non contendunt. Quid censor contra? In me verborum nihil, in Amesium aliquantulum: quo nos ablegat. Sed eum eruditus Theologus jam vindicavit. Quandoquidem ergo vacuus ad me accessit, vacuus dimittetur.

§. *Ludis illis in universum abstineatur per me licet &c.*] Figura fortè est indignantis, qualis ferè illa apud Virgilium.

I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Quod si seriò tale quid agitare placuisset, debuisset saltem, missâ aut sepositâ ratione ab abusu nominis divini desumtâ, aleam cum magistris morum antiquis, reformatis detestari ob rationes communiter ab omnibus allatas. An non videbat in Angliâ apud purpuratos, aulicos, studiosos, episcopos, ministros, ditiores cives & mercatores hoc malum aleæ ita fervere, ut ipsius aliorumque Theologorum scriptis & con-

& concionibus homines potius sufflaminari deberent, quam concionibus & scriptis elencticis Mars aleatorum accendi. Certè longè melius hominum conscientiæ & saluti consuluisset, si emissæ egregiæ concioni *in Amos. 6. v.* istorum aliorumque vitiorum illic nimis quam grassantium detestationem submisisset. Sic factitârunt Cartwrightus, Fennerus, Perkinsus, Joh. Downamus, Balmfordus, Boltonus aliique complures, quorum memoria est, eritque apud pios in benedictione. Sed noluit censor aut non ausus fuit inveteratam consuetudinem, & malum benè positum movere, ne magnis nominibus in Republ & ecclesiâ illâ inequitare videretur, fortè & se ipsum redarguere.

§. *Scire pervelim (nam mysteria mera & ænigmata &c. mihi hicce loquitur &c.]* Talibus scilicet lusibus justâ refutatione defungi se putavit. Sed *formulam istam*, ait, *sibi hactenus inauditam, nec apud Scriptorem sanum aut insanum &c.* Fortè parum in lectione Theologorum versatus fuit, quippe contentus in se nascentibus bonis. Si consuluisset Catechistas, aliosque interpretes primæ petitionis: *Sanctificetur nomen tuum;* & tertii præcepti: *Non usurpabis nomen Domini Dei tui in vanum*, facilè

cilè ænigma hoc meum evolvere potuisset: *Sors peculiarem infert respectum ad Dei specialem providentiam : Atqui illa reverenter in rebus necessariis, cum alia media non suppetunt, usurpanda est.* Quid hic tantopere ænigmaticum? Advocare, sive verbis sive ipso facto, Dei specialem seu singularem providentiam, ad Dei judicium & sententiam immediatè per casum sortis pronuntiandam provocare, eamque exspectare, ut ex pacto speciali & secundum communem naturam sortis, sine ulla revocatione aut ulteriori provocatione, in eadem acquiescas, (in hoc enim formalem rationem sortis ex *Proverb.* 16. & 18. *Actor.* 1. *Josuæ* 13. 1 *Paralip.* 24. collato naturæ lumine, gentium consensu, & auctoritate Augustini præstantissimi scriptores *anacr.* 9 citati constituunt) est Dei nomen, Dei specialem providentiam reverenter usurpare: contra verò per ludum & jocum providentiam & sententiam Dei ciere, est advocatam & adhibitam Dei determinationem ac sententiam, & consequenter Dei nomen irreverenter usurpare. Epicureos, & ex fortunâ Deam facientes hic nullo numero habeo. Loquor Christianis, & quidem reformatis: qui stupido, inepto, & scandaloso illi effugio

gio

gio de vaga & ἀορίστῳ contingentiâ, quæ sola in sortitione dominaretur & respiceretur, sic non debent adhærescere, ut tandem per solidam consequentiam in casses Epicuri aut cultorum fortunæ compingantur. Conferatur ex elementis Logicæ aut Metaphysicæ definitio contingentiæ, cum qualicunque definitione sortis licitę ex jure divino, naturali, gentium, civili, & judicent tyrones Logicæ, an eadem sit utriusque ratio formalis. *Insani* hâc in parte *scriptores*, censori nostro sunt, non tantum Amesius, & ego, sed & omnes illi doctrinâ ac pietate in reformatis ecclesiis celeberrimi, qui tanquam nobis ὁμόψηφοι supra adducti sunt, quales Lutherus, Aretius, Zanchius, Junius, Perkinsus, Cartwrightus, Lavaterus, Danæus, Rivetus, Waleus &c.

Gisb. Voetii.

II. *Quod si quis in Conscientia de abusu nominis divini non satis evidenter convictus est, tamen debet abstinere à re minimè necessaria aut ad exercitium animi corporisve nullo modo aut non admodum utili propter dubitationem suæ conscientiæ; tum propter mala & incommoda, quæ ludos illos perpetuo aut ut plurimum comitantur (est enim ab omni occasione & specie mali abstinendum) inprimis si lucri causâ ludatur; tum propter scan-*

scandalum, & ludorum istorum infamiam apud Gentiles pariter & Christianos.

THOM. GATAKERI.

1. Si quis in Conscientia sua hæret ambiguus, abstineat omnino necesse habet. Optimum enim illud Gamalielis monitum in *Pirke Aboth* c. 1. §. 16. הסתלק מן הספק *Abstineas te à re dubia.* Tutissimumque illud cautissimi cujusque præceptum, *Quod dubites, ne feceris. Plinius min. lib.* 1. *Epist.* 18. Cæterum cur quisquam de Sortis ludicræ usu ob rationes hactenus adductas ambiguus hæreat, ego causam nullam video. Vide *Tract. de Sort, c.* 8. § 18.

2. Ubi malorum atque incommodorum istorum periculum fuerit, aut à facto scandalum oboriturum, quis non abstinendum pius censuerit? Ita tamen ne superstitione mens constricta teneatur; neque de sortem in re levicula quoquo modo usurpantibus, censura iniqua & Christiana minus feratur. Sed & de hoc fusius egimus *Tract. de Sort. c.* 8. §. 17. & *c.* 9. §. 6.

3. Aleæ chartarum usum simplicem causâ animi usurpatum apud vel exteros, vel Christianos infamem fuisse, haud verè dicitur. Vide *Tract. de Sort. c.* 8. §. 13.

ANA-

Anacrisis XI.

¶ *Cæterum cur quisquam de sortis ludicræ usu ob rationes hactenus adductas ambiguus hæreat &c.*] Viderunt tot tantique viri, *anacr.* 9. & 12. designati. Si quis, ut sibi ipsi, aut viris in autoritate constitutis parcat (nam propter infimos ex plebe vix credo bellum hoc aleatorium contra pios Theologos jam indicatos suscipiendum) aut decorè hæc communis consuetudinis & conniventiæ peccata dissimulare queat, videre nolit, quæ solis quasi radiis scripta sunt, is moderationis palmâ fruatur, audiatque supra alios sui ordinis homines, Theologus politicus, moderatus, prudens, lenis; cereus, denique omnis homo; qui tamen pro suæ moderationis πάντῳ plerunque acerrimum se ostendet præliatorem. Exempla nobis dederunt Remonstrantes: nec hodierna desunt. Videantur libelli pro Philosophiâ Cartesianâ,& pro sabbathi hebdomadalis ceremonialitate contra ejusdem confessionis Theologos, emissi. De censore nostro pro aleâ tantopere exardescente, ad inspectionem libellorum in Amesium & me, censeant lectores non aleatores.

§. *Ubi malorum &c. aut à facto scandalum oboriturum &c, quis non abstinendum &c. Ita tamen ne superstitione mens*

constricta teneatur , neque &c,] Verba hæc aliquam συγκατάβασιν & zeli aleatorii remissionem sapere videntur. Hoc ergo seriò urgendum saltem fuisset, hoc vivâ voce & scriptis εὐκαίρως ἀκαίρως proclamandum , grassanti tunc illic (Anno 1638.) epidemico morbo , hortatione & proprio exemplo occurrendum. An censor hoc præstiterit, me latet. Saltem scripta ejus nihil tale indicant. Sed dicat quis, *mentem à superstitione, quâ alioquin constricta teneretur*, liberandam fuisse. Hunc scilicet vindicem liberanda veritas exspectabat. Quasi homines in alterum extremum certatim non contendissent. Proferantur gravamina orthodoxorum Pastorum, querelæ piorum , decreta Synodorum & Academiarum , ex quibus de superstitionis periculis constare possit. Talibus excogitatis commentis & μορμολυκείοις plerumque mundi vanitatibus patrocinium quæritur , & hominibus carni plusculum indulgentibus huic sæculo velificantibus pulvilli consuuntur.

§. *Neque de sortem in re leviculâ quoquo modo usurpantibus , censura iniqua &c. feratur.*] Si periculum sit incommodorum, quæ ego retuli, aut à facto scandalum oboriatur, quomodo erit iniqua aut minus

Chri-

Christiana censura? Si quis videat concionatorem, vel ipso die dominico aleâ ludentem, an non absque iniquitate illi suggerere posset, *Vae mundo à scandalis &c.* Matth. 18. *coll. cum* 1 *Corinth* 8. *v.* Hoc si censor fecisset, cum tanta illic aleatorum inter ministros & aulicos, aliosque esset frequentia, utique nihil absurdi, nihil superstitiosi commisisset. Non est prætexendus metus superstitionis aliquando fortè venturæ; cum contra ingruentem & inundantem epicureismum & securitatem clamandum est, & non clamamus; quin & clamantes cum Jeremia, Micha &c. impedimus.

§. *Aleæ chartarum usum simplicem causâ animi usurpatum &c. infamem fuisse haud vere dicitur &c.*] Verba mea ita se habent; *tum propter scandalum, & ludorum illorum infamiam apud Gentiles pariter & Christianos. Resp.* 1. De infamia si ex suo cerebro crisin quam instituere voluisset, cum Jureconsultis experiri debuisset, quos in propria vocum acceptione præceptores hic agnoscimus & sequimur. Audiatur Cujacius l. 9. observat. c. 28. *Lenticulam aleæ condemnatam Cicero quasi infamem notat, & aleatorum nomen infame censetur l.* 26. de injuriis *L. fugitivus D. de aleator. Propter quod se tesserarios appellari malunt: inter quos*

tamen, ut Marcellinus scribit XXVIII. tantum differt, quantum inter fures & latrones. Index libro præmissus hanc Cujacii sententiam sic exprimit: *aleatorum nomen infame.* Althusius lib. 3. dicaiolog. cap. 33. §. 7. *Testis esse non potest in manifestis flagitiis hærens & perseverans, meretrix, leno, concubinarius, usurarius, ebriosus, aleator, lusor ludi vetiti, & scurra, histrio &c.* In eandem sententiam citat ibid. Farinacium & Menochium. Dionys. Gothofredus l. 1. C. de aleator, *Aleatorum nomen infame est.* Idem ad l. 2. C. tit. 8. citat dictum Senecæ. *Aleator quanto in arte est melior, tanto est nequior.* Huc etiam pertinet illud Suetonii in Augusto cap 17. *Aleæ rumorem nullo modo expavit, lusitque simpliciter & palam oblectamenti causâ.* Unde facilè colligimus quam honorata fuerit alea apud Romanos. *Stuckius in convival. loc. supra cit.* allatis Suetonii verbis, inserit hanc parenthesin, *aleæ enim ludus erat infamis.* Conradus Rittershusius lib. 8. lect. sacr. cap. 6. *Exhæredationis*, inquit, *causas incertas olim atque arbitrarias centumviralique judicio examinandas definivit, atque expressit Justin. novell. 115. Una earum est, si filius cum turpibus & infamibus fuerit versatus, verbi gratiâ cum mimis & aleatori-

toribus: quam expressit & *Chrysostomus* noster *homil. 22. ad Ephes.* his verbis: εἰπέ μοι, „ εἴ &c. i.e. Dic mihi, si quem filium ha„beres, qui relictis honestis servis copula„verit sese iis, qui patrem molestiâ affece„runt, quique tesseris & aleæ lusui dediti, „ sunt domo paternâ proturbati, eam ob „rem, nisi destiterit, poterit à patre ex„hæres fieri &c. Inter Christianos jus civile *titt. citt.* solum ludum aleæ simpliciter prohibet, alios illic indicatos permittit: & *tit. C. de Episc. & cler.* aleatores clericos, non tantum, sed & inspectores pœnis subjicit. Et canonistæ ad *c. inter dilectos, tit. de excessu prælator. apud Diaz in pract. crimin. canonica cap* 63.) quod collatio beneficii facta clerico aleatori nulla est, tanquam facta *vili & indigno.* Quidquid autem à legibus divortiant corrupti mores, & ex iis ac secundum eos Canonistæ & Casuistæ aliqui excogitatis distinctionibus & palpis, *de temporis fallacia, de animi recreatione, de certamine aleæ absque lucro, aut tantum pro parva summa*: illi tamen ludi hujus præ aliis indecori, & turpis conscientiam excutere nequeunt; quin eâdem stimulante subinde ex invitis ipsorum pectoribus veritas eructet voces *criminis, flagitii, vanorum & pessimorum ludorum &c.*

 Vide

Vide *Ambrosium, Serrarium, Musart supra citt.* Unum Tholosanum celeberrimum canonici & civilis juris interpretem in præsentiarum indico lib. 39. syntagm. c. 3. *Dum enim quis studio ludi detinetur, furtim labitur tempus, & quodam modo fallitur. Laudarem tamen ego, si otium hoc potius tribueretur quibusdam honestis voluptatibus* (ergo oblectatio animi à censore quæsita in ludo aleæ non videtur huic scriptori honesta) *vel divinarum rerum meditationi, quam servilibus istis, vanis, &* (N.B.) *pessimis.* Iisdem elogiis ludos illos insignit *cap. præced.* §. 12. Mirum ni Pontificius hic J. C. Puritanorum aut Præcisistarum ubera suxerit, *indeque succo τοῦ pessimi*, nostri censoris *τὸ animi causâ* conspuerit. Hæc ille: dum inter reformatos non pauci has voluptates non tantum sectantur, sed nonnulli etiam sacri ordinis allaborant, ut famæ hos ludos restituant, & eorundem exercitia vindicent; ne ea unquam sepeliantur. O tempora, ô mores! Quid aliud exspectandum, quam ut choreæ, ballettæ, luxus & vanitas, in ornatu corporis, in fuco, aliaque mundi excessa, pro quibus in tenebris nunc mussitatur, & quasi voce præconis nuperrimè clamari cœpit, publica tas suas vindicias nanciscantur: quia scilicet

licet aliter hominum potestate & potentiâ eminentium favor tum verbalis tum realis retineri & compatari, aut categoriâ an suspicio nimis jurati seu præcisi, inquieti, intractabilis, ἀγροίκου, μελαγχολοῦντος evitari. Sic scilicet itur ad astra. In Hispaniâ, in aliis politiis ludi illi prohibentur. In Galliâ Anno 1369. teste Damhoudero per Carolum 7. prohibiti sunt; hocque tanto zelo Anno 1617. apud Imperatorem, Electores, Principes, Civitates Imperii egit Nobiliss. *Joh. Munster à Vortlage, dedicatoriâ suâ libro de alea præmissa*, ut antiquissimæ Cæsarum, Regum, Principum leges ad exterminium aleæ & similium ludorum in pristinum statum & viridem observantiam restituerentur. In Hispaniâ ludus taxillorum (qui mixtus est, ac propterea unà cum ludo chartarum speciosius defendi videtur), gravius punitur: teste *Diaz. loc. cit.* Nunc adde honorarios Helenæ hujus titulos. *criminis, flagitii* &c. quibus inter Christianos ornari solet. Vide autores *anacr.* 9. citatos. Hos si quis refutare velit, quin & legem contrariam pro honore & gloria aleatorum rogare, nos spectatores erimus. *Resp.* 2. distinctio illa, *de aleæ usu simplici, causâ animi usurpato* mera exstinctio est, & misera ejus, quod in

quæstione est, petitio. Ubi nec lex illa quæ allegatur, nec alia lex distinguit, non est distinguendum: alioquin ex omnibus legibus fieret regula Lesbia omnibus omnium factis, etiam maximè distortis, pro arbitrio applicanda. Erubescit JCtus sine lege loqui. Proferatur lex, ex corpore juris, aut ex statutis Gallicis, Germanicis, Hispanicis, &c. quæ oppositum contineat sanctionis contra aleatores, aut saltem tale quid dicat, unde exceptio illa de *honesto aleæ lusu causâ animi* per legitimam consequentiam deduci possit. Saltem hactenus, quod sciam, Pacii & Merceri conciliatores, aut Bronckhorstii libri ἐναντιοφανῶν talem legem non videntur invenisse, quam cum lege prohibere aleas (quæ est *in C. & D. tit. de aleator.*) conciliarent. Sunt ergo mera verba & voces, quæ hic funduntur, quibus nihil reponendum est. Ad tract. suum Anglicum quod me & lectorem ablegat, facit more suo, Repeto meum illud: *En Rhodus, en saltus.* Anglicis ipsius scriptis, non obstetricabor, sed ea in tenebris suis relinquam. Si quid coccysmorum & petitionum principii in illis considerandum videtur, hoc hyperaspistes Amesii ad partes vocavit, sed ὡς ἐν παρόδῳ. Propriè enim & maximè oppugnandos putavit aleatorum triarios,
scripto

scripto AntAmesiano in aciem eductos. Illis profligatis, nihil restabit, quam annales Volusi, & carmina scombros ac thus metuentia. *Resp.* 7. ad infarctam exceptionem, de *simplicitate* ludi & *de animi causâ*: pariter ab omni lege sine lege proprium cujusque factum semper excipi posse; immo & de jure contra jus dispensari. Nihil enim facilius dici potest, quam leges divinas & humanas, sententias patrum & reformatorum, decreta antiquarum & recentium synodorum in hanc aut illam hypothesin, in tale factum non quadrare; & consequenter absurda, nova, peregrina ab illis proponi, qui vitia hodierna ad leges & decreta illa exigunt. Hæc methodus laxorum Casuistarum, qui contra communem pietatis doctrinam in sui gratiam & eorum, qui prodesse aut obesse possunt, nihil non determinant & defendunt. De qualibus Apostolus: προκόψουσι ἐπὶ τὸ χεῖρον. Notantur in jure civili, & quidem absolutè sine distinctione, manticularii, saccularii, falsarii, præstigiatores, calumniatores, fraudatores creditorum & vectigalium, histriones, decoctores bonorum, plagiarii, &c. An non quisque se extra quærere posset, excipiendo leges tantum loqui, de iis qui nimium exorbitant, aut hoc vel illo immoderato &

turpi modo committunt: non autem de iis qui *simpliciter*, aut in parva materia, aut aliquando seu raro, aut non malâ intentione, sed tantum *animi causâ*, aut in casu necessitatis talia agunt. Eâdem ratione quis declinare posset, quidquid à conciliis, patribus, nostris Theologis hactenus dictum scriptumque fuit in ebrios, invidos, avaros, saltatores, histriones, thymelicos, fœneratores, &c. Hæc scil. Casuistarum sibi & mundo velificantium clavis aurea puteo abyssi reserando inventa.

GISB. VOETII.

III. *Servanda ad minimum est Imperatoris Constitut.* novell. 123. *quà interdicit Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, ac Lectoribus, & cuicunque Clerico*, ne ad tabulam ludant (πεβλίζειν *est* aleâ ludere, *ut ibi exponit Cujacius*) aut tali ludo utentibus se associent, aut spectatores sint, aut ad quodcunque spectaculum spectandi gratiâ accedant, &c. Vide & confer *Decreta in Aleatores, nominatim in Clericos apud* Photium in Nomo-Canone tit. 9. cap. 17. *Cum Decretis antiquorum Conciliorum convenit* cap. 3. Statutor. Ecclesiastic. *Othonis* I. anno 952. *&* cap. 27. Statutor. *Ludovici Pii in* Comit. Aquisgran. anno 818. apud Goldastum Constitut.

Impe-

Imperial. tom. 3. p. 225. & 308. *Eadem fuit sententia Waldensium, ut videre est apud* Joh. Paulum Perrinum. *Et Ecclesiarum omnium post reformationem, quæ eâdem administrationis Cœnæ formulâ nobiscum utuntur. Decreta Politica, aliaque Principum ac Sapientium suffragia collegit* Souterius Palamedis libr. 2.

THOM. GATAKERI.

De Constitutis Ecclesiasticis ac Decretis Politicis abundè satis diximus, *de Sort. c. 8. §. 5.* Ista tantum impræsentiarum denuò dicta suffecerint.

1. Si quid vel Sanctis Patribus vel Christianis Principibus abusus alicujus epidemici ratione, vel ex parte, vel in totum suis interdicere, visum fuerit, non sequitur continuò, esse illud in se & ex natura sui illicitum prorsus, quum eorundem & Patrum & Principum edicta aliis quoque interdicant haud paucis, de quibus tamen, quin per se & ex natura sui licita sint, vix quisquam Theologus unquam ambegerit.

2. *Velim ex Conciliorum Constitutis* (nam Politica forsan Decreta ista minus morantur) *aliquid produci, unde liqueat Sortis ratione Ludos hosce damnatos, aut Sortis usum* in re levicula omni interdictum universum.

De Ecclesiis Reformatis quod adjungitur, cum restrictione illa, *quæ eadem administrationis Cœnæ formula nobiscum utuntur*; tam haud ita numerosas comprehendere, tum Anglicanam nostram excludere videtur. Sed nec quatenus, aut quibus rationibus, lusus isti ab Ecclesiis illis interdicti, an proscripti, sint, novi; cum Decreta earum sive constituta de istis nulla viderim, nec autor iste, quæ aut qualia ea sint, indicaverit. Verum ista ubi obtinent, religiosè, me autore, observentur; & alibi quoque, si id illis visum fuerit, quorum ista curare & procurare interfuerit. Neque enim de ludis istiusmodi vel tolerandis vel coërcendis controversia instituitur; sed *de Sortis ipsius natura*, & *an in re aliquâ vel ludicrâ vel leviculâ licitè possit usurpari.*

ANACRISIS XII.

§. *Abunde satis diximus &c.*) Quid in scriptis vernaculis abunde dixerit aut non dixerit censor, ego considerandum mihi tunc non sumseram, nec adhuc sumo: tantum contentiosè quæsitas crises latinè in innoxiam sententiam & fidelem νυθεσίαν meam thesibus pro scholarum more propositam evulgatas, & nuper recusas examino.

§. *Si quid vel sanctis patribus vel Christia-*

ſtianis Principibus abuſus alicujus epidemici ratione &c. non ſequitur continuo, eſſe illud in ſe & ex naturâ ſui illicitum prorſus &c.) *Reſp.* 1 Non tantum propter conſequentes abuſus ſortitiones ludicras interdixerunt, ſed etiam quia in ſe tales ſortitiones malæ erant. Quod inde patet, quia in genere ſortes omnes præter & extra peculiarem Dei inſtinctum ſuſceptæ, & quidem nominatim Gentilium, ipſorum judicio malæ erant, exceptis ſolis diviſoriis in caſu neceſſitatis ad lites terminandas aut præveniendas σὺν Θεῷ ritè adhibitis: uti patet ex verbis Auguſtini *ſupra cit.* Jam vero, qui tales ſortes ſolummodo excipiunt, ad quas ludicræ reduci, aut ſub quibus comprehendi nequeunt, illi eo ipſo eaſdem ludicras ſortes rejicere atque improbare dicendi ſunt; quamvis exſertè earum non meminiſſent. Et hoc vel inde conſtat quod abſolutè improbent aleatores: nec pariter improbent venatores, & globis, pilis, clavis &c. ludentes, aut convivia celebrantes, aut cantores, aut milites, aut aulicos &c. qui tamen ab abuſibus non ſunt immunes. Confer infra. *Reſp.* 2. dato non conceſſo, tantum propter abuſus condemnari illas ſortes, cum tamen illi tam frequentes, immo ſi non quarto ſaltem tertio modo proprii ſint illi abuſus, certè nec

decorum nec opportunum est, à theologo reformato tam operosè, & tantâ cum contentione non tantum pro concione, sed & publicis scriptis defendi, quæsitâ vitilitigatione & criticâ, circa unam ex rationibus dissuasoriis, quam piissimi & inter theologos reformatos theologi περικλυτώτατοι, supra cit. inundanti malorum istorum oceano inter alias opponere solent. An prudentiæ justorum sit, in Danæum, Perkinsum, Taffinum aliosque pios theologos *supra cit.* ita incurrere, ut manus improborum aleatorum inde confirmentur, aut saltem ipsi occasionem inde sumant piis monitis & monitoribus insultandi, ac in malo suo se obfirmandi; judicent omnes quotquot affectu aut contentione judicium non corruperunt. Pari si non majori jure nec minori criticâ ac subtilitate apologiæ à præsentibus theologis contra monita & statuta sive antiquæ sive reformatæ ecclesiæ de larvatis & personatis choreis, de comœdiis, & similibus vanitatibus, adhæc de concubitu ante matrimonii solemnem confirmationem, conscribi possent. Et quis tandem laxandi finis esset? *Resp.* 3. Non videtur satis intellexisse saltem non distinxit τὸ *in se & ex naturâ sui illicitum.* Est enim illicitum seu malum morale vel

intrin-

intrinsecè vel *extrinsecè*. *Illud* rursum est, vel toto genere vel specificè malum. Toto genere malum est, quod nunquam aut nullo in casu potest honestari, ut e. gr. mendacium, odium Dei, blasphemia, adulterium. Specificè malum est, quod in genere non est malum, sed tantum malum est ex certo objecto determinatum & specificatum; ut e. gr. occidere hominem, sonat quidem in malum, sed tamen non est malum, nisi specificetur objectum, nempe hominem innocentem occidere est intrinsecè, seu in se & ex naturâ sui illicitum. Nam nocentem occidi per Magistratum est licitum & bonum justitiæ *Extrinsecè* malum est tale vel per se, vel per accidens. *Per se*, est omne factum in se licitum, sed quod non ædificat. *Per accidens*, est cum actio specie ex objecto suo, seu objectivè bona, tamen subjectivè & ex fine ac circumstantiis est mala, ut eleemosynam dare vanæ gloriæ ergo (*Matth.* 6.); hoc est, cum bonum non fit bene. Applicemus nunc distinctionem, Sortibus uti toto genere, seu absolutè non est illicitum, non magis quam hominem occidere: potest enim aliquo in casu honestari, idque ex mandato Dei sive extraordinario & peculiari *Levitic.* 16. *Josuæ* 7. 1 *Sam.* 10. sive ordinario & communi,

Proverb.

Proverb. 16. & 18. cum 1. *Paralip.* 24. *Nehemiæ* 10. & 11. Rursum sorte in casu necessitatis, in distribuendis scil. rebus, ad lites præveniendas aut componendas, cum respectu ad Deum, qui sortibus præsidet, uti est licitum, juxta legem communem seu textus modo citatos; sicuti licitum est hominem nocentem per Magistratum, aut per eum, qui mandato & autoritate Magistratus munitus est, occidi: ergo malum est sorte uti extra seu præter necessitatem & respectum modo dictum; sicuti malum est, hominem innocentem, aut etiam nocentem, sive per ludum & jocum, sive privata autoritate alicujus occidi. Hic enim valet vulgaris regula, *bonum non nisi ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

§. *Velim ex conciliorum constitutis aliquid produci &c.*) Vide supra anacrisin 8.

§. *De ecclesiis reformatis, quod adjungitur* &c. quæ eâdem &c.] *Resp.* 1. Ubique censuras & crises captat: quasi causæ & apologiæ minus decoræ numeroso & magno strepitu consulendum fuisset. Nihil intendebam excludere, nihil includere: tantum advocabam consensum Waldensium, & ecclesiarum reformatarum, quæ eâdem administrandæ cœnæ formulâ nobiscum utebantur. Hoc mihi tunc occurrebat. Ante me

ad

ad hanc liturgiam origine Palatinam video provocatum fuisse à *Joh. Munster in Vortlage pag.* Et *Souterio lib.* 2. *Palamedis cap.* 10. Hoc hactenus pro nobis contra ludum aleæ. Omnia alia ut dicerem, quæ dici poterant, & ut in omnes alias liturgias inquirerem, & ecclesiarum omnium praxim ac disciplinam circa aleas perquirerem, nec lege ullâ tenebar, nec temporis & Academicæ theſios ratio hoc ſinebat, nec ſi forte hoc agere voluiſſem, omnes libri ad hoc neceſſarii ad manum erant. *Reſp.* 2. Non ſatis capio, cur dicat, me *haut ita numeroſas comprehendiſſe.* Certè paucæ non ſunt ecclesiæ Belgicæ in Belgio, cum quibus conjungimus eas quæ in Indiâ Orientali & Occidentali, in Angliâ, Germaniâ, Galliâ idiomate & liturgiâ noſtrâ utuntur. Frequentes etiam eccleſiæ Germanicæ in Palatinatu, Haſſiâ, ducatibus Clivenſi, Juliacenſi, Bergenſi, comitatibus Marcano, adhæc Benthemenſi, cum duobus conjunctis (quorum eccleſ ſtatutis hanc formulam inſertam teſtatur *Nobiliſſ. Joh. Munſter pag* 210.) Meurſano, Hanovico, Naſſovico reliquiſque in correſpondentia Wetteravicâ, in liberis civitatibus aut circa eas, quales, Brema, Hamburgum, Argentoratum, Noriberga, Dantiſcum, Francofurtum, &c. Ut nihil

nihil dicam de ecclesiis clandestinis, quæ nec paucæ nec ignobiles sunt. Omnes illæ utuntur formulâ catechesi Palatinæ subjectâ, quæ exsertè à cœnâ excludit *aleatores*: quam an per festinationem magis ac alios à me citatos censor inspexerit, vehementer dubito: cum unius dieculæ spatio censuram hanc concinnasse se glorietur. Ne quis autem forte excipiat, notari illic non utentes (quasi usus esset adiaphorus & licitus) sed abutentes lusu aleæ; præmoneo, nulla in se adiaphora illic notari, sed tantum formaliter mala. Alioquin mercatura & mercatores, convivia & convivæ, quæstura & quæstores, militia & milites, &c. eidem catalogo inserendi fuissent, quod ut plurimum frequentes & multiplices abusus illic grassari contingat. Prȩter ecclesias formula eadem nobiscum in administratione cœnæ utentes, etiam Gallicæ *disciplina sua penitus* ludos aleæ *proscribunt*: teste *J. L. Beaulieu lib. de recreationibus supra cit. pag.* 176. Idem habent *Constitut. eccles. Genevenses tit.* 1. *cap.* 1. §. 21. cum scandalosos & in jure prohibitos ludos (tales sunt ludi aleæ) inter causas illas numerant, propter quas homo à communione ecclesiæ excludi debeat. Vident ergo, qui oculos non claudunt, ecclesiarum statutis ludos illos non inter bona, aut

aut adiaphora, sed inter peccata recenseri ac prohiberi. Legant & relegant quarumvis ecclesiarum agenda, liturgica, statuta, & non invenient aliquid prohiberi, quod in se ac per se peccatum & formaliter malum non sit. Nec invenient ludos clavæ, pilæ, orbiculorum, conorum, aliosque, qui sine manifesto periculo solâ arte & industriâ exercentur, à theologis antiquis & recentioribus prohiberi: cum tamen abusus eorundem multiplices incidere possint, ut temporis & bonorum dilapidatio, æmulatio, rixa, contentio, nominis divini abusus &c. Unde necessariò sequitur vidisse eos aliquid in ludo sortis, quod in aliis non videbant. Quod quid aliud est, aut esse potest, quam illud quod nos cum tantis viris à nobis citatis asserimus. *Resp.* 3. Ecclesiam Anglicanam potuissem tunc includere, siquidem secundum partem meliorem, & pios doctores scriptis editis celebres (quorum aliqui supra indicati) exemplo nostrorum successionem veræ ecclesiæ per sequiora sæcula investigantium, ecclesiam Anglicanam considerassem, & non secundum corruptam ac corrumpentem 1636. factionem Laudensem, quorum doctrinæ specimina liber Anglicus *tit. Laudensium* αὐτοκατάκρισις & *Honorius Reggius* latinè detexit: morum vero & con.

& conversationis, *libellus Anglicus tit. prima centuria* continens historiam centum ἀπτίκτων ministrorum per parlamentarios quosdam delegatos oppidatim seu vicatim detectorum. Plures centuriæ, quas editores tunc promittebant, an postea prodierint, hactenus ignoro. Saltem ignorare non poterat censor, titulum *ecclesiæ Anglicanæ*, tunc cum ista scriberet, & proximis annis in dictionario theologico Ladensium longè aliud quid significasse, quam ecclesiam reformatam, immo haut obscurè à reformatione in Germania, Gallia, Belgio &c fuisse discriminatam, si non eidem oppositam, quin & τὸ *propter nostram religionem*, quod formulæ commendationis Regiæ subsidii pro afflictis ecclesiis Palatinatus insertum erat, procurante Wilhelmo Laudo fuisse erasum, & substitutum, qui *propter suam religionem* affliguntur, aut patiuntur persecutionem. Sed plus satis de quæsito hoc diverticulo.

§ *Sed nec quatenus aut quibus &c cum decreta &c. Verum ista ubi obtinent religiosè, me autore, observentur, & alibi &c. Neque enim de ludis tolerandis* &c.] *Resp.* 1. Vide modo dicta, & *supra anticrisi* 8, & 10, *Resp.* 2. Si non agitur de ludis illis tolerandis; non erat ergo incurrendum in illos,

illos, qui cum nube testium *supra antic. IX. cit.* hoc seriò agunt ut ex Christianismo exterminentur: sed potius manus cum iis jungendæ; nec speculativæ & otiosæ crisi tantum indulgendum, ut funem contentionis per libros ex professo editos tractum aleatores arripiant & manus suas confirment; atque unà corda justorum dolore percutiant. Quid si quis choreas, balettas, larvas & personas, nuda fœminarum pectora, fucum, similesque vanitates peculiaribus tractatibus defendat ex hac parte, quod abusibus & τῷ nimjum remoto in se & per se mala non sint, sed adiaphora: atque ita periculosa subtilitate argumentum aut argumenta, quibus malitia eorum à patribus & reformatis doctoribus demonstrari solet, elidere aut luxare satagat; an satis conscientiæ apud Deum hominesque inoffensę tum suæ tum aliorum satisfactum putaret? An σῶφω hoc φαρμάκῳ: *religiosè, me autore, observentur* &c. *Neque enim de ludis tolerandis* &c. Quasi vero. Quin immo de ludis inter pios tolerandis aut exterminandis agitur, & semper actum est. Rationes quam plurimæ in *tract. sub nomine Cypriani* apud *Ambrosium, Antoninum, Lyram, Danæum, Taffinum*, aliosque inveniri possunt. Una illa desumta ab abusu sortis & nominis divini,

vini, si alicui minus adamantina videtur, fruatur judicio suo; interim thesin & caussam communem de abstinentia à periculosis & scandalosis illis ludis, ne deserat, nec aleatoribus occasionem præbeat, juri civili, synodis, patribus, recentibus theologis reformatis hos ludos prohibentibus insultandi. Audiant imprimis sacri ordinis homines, & filii prophetarum celeberrimum in Academiis Leidensi, Genevensi, Orthesiana professorem *Lamb. Danæum tract. de alea* his verbis concludentem:

Quamobrem cum sit hactenus demonstratum aleæ ludum ipsi Dei verbo esse repugnantem, ipsis lusoribus prorsus damnosum, & exitiosum, cum tot incommodis, & offendiculis conjunctum, bonis legibus contrarium, morum Christianorum reformationi, & sanctitati adversantem, denique esse Satanæ ipsius tanquam fœdissimum sputum, crepitum, & inventum, jam an ab ullo vere Christiano viro dubitari potest, quin sibi sit penitus ab eo & fugiendum, & abstinendum.

GISB. VOETII.

Restant Casus decidendi: Quorum I. An Principes, Magistratus, Judices sorte eligi possint. R. Aff. cum hac distinctione, quam suggerit Cajetanus in 22. q. 95. a. 8. *quam etiam sequuntur Summistæ, ne scil.*

pro.

promiscuè sorti principatus subsit quisque de populo, sive bonus, sive malus, sed ut super certos quosdam hoc munere dignos sors cadat. Et sic olim Regnorum divisio per sortes(Dempsterus ad antiquit. Rosini lib. 2. cap. 13. Alciat. Parerg. lib. 5. cap. 22.) *& Judicum sortitio frequentata; de quo ex Jure Civili & bonis Autoribus non pauca observat* ibid. Dempster. lib. 9. pag 376. *Et certe requirit status ac necessitas militarum Politiarum ut ad Dei hoc judicium confugiatur. Vid. recentiores Politicos.*

Thom. Gatakeri.

De hoc Casu diximus *Tract. de Sort. cap.* 5. §. 5. Illud duntaxat negandum censeo, ad Dei judicium in Sorte istiusmodi provocari, quod istic asseritur. Certè qui vel ad divinum judicium in sorte provocaverint, vel divinum ab eadem judicium expectaverint, præsumptionis planè reos se peragunt. Audiat ipse se autor iste Agobardi ore sic pronunciantem de provocatione ad Judicium Dei *thes.* 4. *Vani homines nominant ista Judicium Dei. Unde probari potest judicium esse Dei, quod Deus nunquam præcepit?* Nam de *Necessitate* quod dicitur; uti peccandi, sic præsumendi Deumque tentandi, nulla est necessitas.

Ana-

ANACRISIS XIII.

§. *Illud duntaxat negandum censeo, ad Dei judicium in sorte istiusmodi provocari &c. Certè qui vel ad divinum &c. praesumtionis plane se reos peragunt.*] Supra per parvitatem materiae, & *recularum levitatem*, Dei specialem providentiam, sententiam, judicium, ejusque apud homines respectum & exspectationem à sortibus relegavit. Nunc ne quidem in his maximi momenti rebus locum illi relinquere videtur. Quod non nemini à quoquam sortis divisoriae usum aliquem concedente, ita factum. Qui ex pacto in rebus tanti momenti, ad sortes confugiunt, illisque determinationem in alterutram partem deferunt, ut in eâ acquiescant: utique exspectant judicium immediatè determinans, alienum scilicet & extraneum; hoc est, *non-suum*, *non-humanum*, nec *diabolicum*, nec *astrorum*, nec *fatui fati*, nec *caecae & chimericae fortunae*: Ergò solius Dei, à quo omne ejus judicium *Proverb.* 16. Haec satis superque ab autoribus supra *anacr.* 9. indicatis, & à nobis *anacr.* 5. 6, 7. probata sunt: ut nemo, nisi Epicuri opinioni nimis concessurus, aut zelo causae alearis abductus, aut aleatoribus quibusdam inter magnates ac proceres autoratus, aut ἰδιογνω-

μοσύνῃ

μονῇ suæ nimis indulgens, ultra quid desiderare queat. Sed duo objicit censor, 1. *Obj.* præsumtionis se reos peragunt, qui ad judicium Dei in sorte provocaverint, vel ab eâdem exspectaverint. *Resp.* O miseros Theologos Augustinum, Lutherum, Aretium, Junium, Zanchium, Rivetum, Amesium &c. qui exspectationem talem docent, quam censor noster præsumtionis condemnat! Talem provocationem & exspectationem, cum ipsa natura sortis secundum lumen naturale & rectam rationem, & testimonia verbi divini jam sæpè citata, nobis præscribant: quâ quæso probabilitatis specie infandum præsumtionis crimen *fidei*, timori Dei seu *reverentiæ*, *religioni*, *invocationi* (quæ piissimi & eruditissimi Theologi supra citati in usu sortium requirunt) impingetur? Sed quærerem ex aleæ patronis utrum præsumtio an superstitio, an vero utraque ipsis esset, si in Rege, Principe, Præceptore, Senatore, Consule, Academiæ Rectore, Cancellario, Curatore, Ecclesiæ Pastore, Seniore, Inspectore per sortem constituendo, aut in territorio, in quo ipsi habitarent, his illisve Possessoribus adjudicando cor suum per fidei, spei, orationis actum ejaculatorium ad Deum supremum atque unicum sortis determinan-

tis autorem attollerent, & ab eo judicium exſpectarent? Si qui hoc auſint affirmare, eos profanitatis planè ſe reos peragere viciſſim affirmabo. 2. *Object. Audiat ipſe ſe autor iſte Agobardi ore &c. Reſp.* Audiant & videant Lectores cenſoris ἀκρισίαν, quæ illi in totâ hâc contentione quaſi quarto modo propria eſt. Ego in *diſp. de abuſu ſortis* (*nuper cum 3. part. ſelectar. diſpp. recuſâ*) probationes quaſdam vulgares per monomachiam, ferrum candens, aquam &c. rejicio, quibus veritatis occultæ, de quâ in ſtatu inficiali diſceptatur, indicium & judicium divinum attribui ſolet. Quod tamen Deus nuſquam revelavit, & quarum uſum ordinariò adhibendum nuſquam mandavit. Extraordinarium enim & peculiare fuit mandatum, de probatione per aquam zelotypiæ, *Num.* 5. Ad temerarias illas probas, & provocationes ad judicium Dei referendæ ſunt ſortes divinatoriæ, & purè conſultoriæ ſtrictè ita dictæ: quas cum Patribus, Agobardo, Scholaſticis, Theologis noſtris, & cenſore ad illicitas ſuperſtitiones & Dei tentationes rejicimus. Sed ſortis diviſoriæ judicium divinum Deus revelavit tum per lumen naturale, tum *Proverb* 16 ejuſque uſum ordinarium, in caſibus neceſſariis, tum lege naturali, tum

ſcriptâ mandavit. *Proverb.* 18. cum *Num.* 33. *Joſ.* 13. 1. *Paral.* 24. Vide quam diſſimilis ſit ratio ſortis diviſoriæ, & probæ vulgaris: ut fruſtra ab una ad alteram cenſor noſter conſequentiam duxerit. Rectè cum Zwarezio Malderus ad 22. tract 10. cap. 7. dub. 9. *Sine ſpeciali Dei revelatione licere in magna neceſſitate dubium, quod aliter dirimi non poteſt, oratione præmiſſà dirimere ſorte, quomodo Auguſtinus ſuaſit dirimendum, quiſnam ex pluribus Sacerdotibus debeat in perſecutione pro conſolatione fidelium à fugà abſtinere. Sed non malè exiſtimat Zwarez, has ſortes potius inter diviſorias eſſe cenſendas quam conſultorias; quamvis confidatur per Dei providentiam eſſe dirigendas: ejuſmodi enim fiducia in ſorte diviſorià etiam adhiberi poteſt, ſecundum locum* Prov. ſupra cit. *Ut enim maneat ſors tantum diviſoria, ſufficit nullum à Deo exquiri ſignum, ſed nudam ſortis directionem; non ut ſciatur quid agendum, ſed cum conſtet quid agendum, ut diſcernatur à quo potius agendum ſit.* Confer infra *anacr.* 19.

Gisb. Voetii.

II. *An etiam in diſtributione munerum Eccleſiaſticorum Sors locum inveniat? Negant omnes Canoniſtæ & Caſuiſtæ Pontificii, cum Thoma* loc. cit. *& Sortium uſum*

ad negotia temporalia restringunt ; *idque propter Jus Canonicum à quo hoc absolutè prohibitum*, *& certos modos electionum definitos putant. Nos cum Riveto* in Decalog. *& Balduino* Caſ. lib. 3. c. 6. *&* l. 4. c. 5. *contrarium ſtatuimus*, *nec videmus hoc Scripturæ aut rationi repugnare. Acriter hanc ſententiam propugnat* Fridericus Nauſea Epiſcopus Viennenſis Homiliar. Centur. 3. homil. 80. *Nec abhorret* Malderus tract. 10. c. 7. dub. 9. *cum concedit litem beneficialem poſſe dirimi per Sortes. Confer.* Bellarm. Controv. 5. lib. 1. c. 5.

THOM. GATAKERI.

De hoc etiam diximus *Tract. de Sort.* c. 5. §. 3. deque eodem Canoniſtæ diſſentiunt. Aſteſanus ab Aſt *in Summâ* l. 1. *tit.* 14. *Si contentio eſſet de aliquorum electione*, *& eſſet paritas utrobique*; *Scripſerunt Laurentius*, *Raimundus*, *Johannes*, *& Cancellarius*, *quod poſſent fieri ſortes. Sed hoc reprobatur in Extravag. unde Hoſtienſis & Goffridus dicunt*, *quod non poſſet fieri ſine autoritate Papæ.* Ita de jure Poſitivo & Pontificio magis quam de Naturali aut Divino inter hos iſtic diſceptatur. Itaque & Cajetanus ipſe in Summulâ tit. de Sort. *Si inhibitio juris poſitivi ſecludatur*, *non video peccatum aliquod*, *ſi ſortibus committe-*

mitteretur super aliquos lectos atque idoneos. Nec dissentit Serrarius *in Josh.* 7. *quæst.* 20.

Anacrisis XIV.

§. *De hoc etiam &c. deque eodem Canonistæ &c.*] Quæ hic annotat, nostris non opponuntur: sed potius ea confirmant Nihil ergo hic replicandum.

Gisb. Voetii.

III *An chartarum & taxillorum similesque ludi mixti ad sortes ludicras sint referendi, atque eo nomine illiciti.* Negat Perkinsus Casuum lib. 3. c. 4. *Nos cum Theologis* supra cit. *affirmamus. Nihil enim manifestius est, quam Sortem ibi locum habere. Hinc rectè Peucerus*: habent cognatum aliquid sortitioni tesserarum, calculorum, taxillorum, astragalorum ludi. *Et* Antonin. loco supra cit. *& cum illo* Sylvester in Summâ *ait*, hunc ludum quasi alearum, *chartarum scilicet & tabularum*, eandem cum aliis habere rationem, quia principaliter Fortuna ibi victoriam parit.

Thom. Gatakeri.

Mitto quærere, quare Perkinso non adjeceris Danæum; & quare cum *Danæo* (*is est enim è supra citatis*) *sentire te dicas, cum is aliorsum istic à te eat.* Et concedo

tibi (quod & in *Tract. de Sort c.* 6. § 3. latius explicavi) propriè dictam laxeque sumptam sortem in istis quoque locum habere: quanquam nec aut eo minus licitos esse concesserim, aut tu etiam hoc demonstrasti.

Simul tamen adjicio nihil esse minus manifestum, quam sortem in ludis vel mixtis vel meris etiam locum habere, si vestram, quam dicitis, sortis rationem admiserimus. Sed nec Peucerus sortitiones has nuncupat, sed *sortitioni cognatum aliquid* habere dicit. Imò hâc ratione sortitiones esse pernegant *Jacobus Rex* δῶρα βασιλικὸν, lib. 3. & *Jo. Regius Ep. Lond. in Jon. c.* 1.

ANACRISIS XV.

§. *Mitto quærere, quare Perkinso non adjeceris Danæum* &c.] Eodem jure si quæsitores me obtundant, quare sexcentos alios autores pro hâc aut illa thesios alicujus parte stantes, in hac præsenti & in omnibus aliis dispp. meis non allegarim: respondebo illis quia non erat necesse, aut tunc non occurrebant, aut ratio chartæ & thesium non ferebat, aut non visum erat; aut simile quid.

§. *Et concedo tibi, proprie dictam laxeque sumtam sortem in istis quoque locum habere*

bere &c. *Resp.* 1. nescio, quid sibi velit sors *proprie dicta*, eademque *laxe accepta. Resp.* 2. Accipio, quod una manu dat; nec minus teneo, quod alterâ manu ablatum it: *simul tamen adjicio, nihil esse minus manifestum &c.* Immo nihil magis manifestum, quam nostrâ ratione sortis admissa, sortem non-sortem, usum non-usum h. e. abusum sortis in ludis illis locum habere: Haut aliter ac τὸ sacrum & religiosum in pseudosacris & superstitionibus idololatrarum; juramenti religio in perjuriis, & temerariis juramentis. Mirum est, illi in mentem non venisse ex græcis & latinis autoribus, discordem concordiam, ἄδωρα δῶρα, γάμον ἄγαμον &c. Cur nervos criticæ subtilitatis hic non intendit? cur omnem culpam violati sacri à Papistica idololatria, & violati juramenti à perjurio & temerario juramento pariter non removet, eò quod formalis ratio & definitio sacri ac religiosi cultui idololatrico, aut definitio iuramenti temerario juramento non conveniat. Cur eadem opera non absolvuntur violatores corporis Christi (1 *Corinth.* 11. *vers.* 27.) quia ratio participati corporis & sanguinis Christi ipsis nullo modo competit. Sit hic paralogismus: Qui non accipit corpus Christi, in usu cœnæ, ille nec est, nec esse potest ἔνοχος

&c. *En quo discordia cives &c.* Hic ubi se expediverint, videbant per remotam sortis rationem aleatores minimè expediri. Confer supra *anacr.*

§. *Immo hâc ratione sortitiones esse pernegant Jacobus rex &c. & Joh. Regius episcopus Londinensis &c.*] Quasi simile dictatum nobis obtruderetur: Modò quis non seriò aut ex devotione, sed tantum animi causa, per ludum & jocum preces recitet, psalmos canat, baptismum administret, per Dei nomen juret, cœnam celebret, negabimus illa esse preces, cantum psalmorum, baptismi & cœnæ celebrationem, juramentum: consequenter inter adiaphora & licita numerabimus. Ad objectas autoritates, quibus ipse minimè adstipulatur, respondere illi possem, quod mihi supra *crisi* 4. inculcatum volebat: *Rationes audiamus & quod olim Augustinus &c. Nec ego Danæum aut Calvinum, nec tu debes Danæum aut alium quenquam* &c. Regi Jacobo, alii Reges & principes ludis illis minimè faventes opponi possent: & Regio seu Kingo episcopo Londinensi Georgius Downamus episcopus Londino-Derryensis. Sed nihil opus.

GISB. VOETII.

IV. *An Magistratus per sortem, decimationem similesque modos aliquos possit*

ad

ad supplicium deligere, ut pœna scilicet ad paucos, metus ad omnes perveniat? Affirm. Si simul omnes pari crimine teneantur.

Thom. Gatakeri.

Et de hoc diximus *Tract. de Sort. c.* 5. §. 5: *p.* 133.

Anacrisis XVI.

§. *Et de hoc diximus Tract. &c.*] Si in Lectorum gratiam δακτυλοδείκτην hic agat: legant & conferant, quibus lubet. Mea sunt perspicua: quibus cum hic nihil opponat, non est quod facularn in meridie accendam.

Gisb. Voetii.

V. *An qui sortitioni illi subjacet, possit bona conscientia sortem ducere; an verò (ut nonnulli censent) non debeat sorti vitam committere; sed tantum passivè se habere expectando à judice aut immunitatem aut supplicium. R. Nos pr. aff. Nemo enim propriam carnem odio habet, sed omnia media servandæ vitæ (si Deo non repugnent) studiosè sectari tenetur. Si enim sortem non ducat, jam absolute pereundum erit; sin ducat, jam latitudo aliqua & spes superest.*

VI. *Quid si innocenti à Principe aut Magistratu tyrannico, aut ab hostibus sortitio*

inter ipsum & alios captivitatis socios; & rursum inter pœnas inæquales, ex. gr. mortem & perpetuam captivitatem, exilium & honorum confiscationem, uxoris filiive jugulationem, & flagra membrive mutilationem in proprio corpore offeratur? Resp. & electio illa est licita (ex hypothesi scilicet violentiæ & necessitatis inevitabilis) quia per eam appetimus bonum: nam minus malum hic obtinet rationem boni: quomodo Jeremias elegit, prætulit, & à rege non obscurè postulavit atrium carceris, quamvis illud non magis meritus esset, quam ipsum carcerem, c. 37.

THOM. GATAKERI.

De istis, prout & de superiori, facilis & expedita est eis responsio, qui sortem pro re adiaphorâ; at non illis itidem, qui pro re sacra & ad divinum tribunal provocatione habuerint: neque enim istic de fine, sed de medio ambigitur.

ANACRISIS XVII.

§. *De istis &c. facilis & expedita est &c. at non illis itidem &c.*] Immo siquidem per providentiam divinam eò necessitatis nos adactos videremus, ut judicium sortis subeundum esset; utique æquè sine superstitione & præsumtione, ac sine ludo & joco ad divinum tribunal respicere, & ab eo eventum

ventum ac determinationem ad Dei gloriam & nostram salutem petere atque exspectare liceret. An facilius se expedient, qui nihil nisi vagam contingentiam, aut cœcam fortunam hic agnoscunt?

Gisb. Voetii.

VII. *An contractus illi sortium, vulgo dicti* Loteriæ, *&* tiffæ *sint liciti. Resp. affirm.* Delrio l. 4. c. 4. q. 2. *cum* Briardo, Garciâ, Lopesio, Modinâ, Imman. Sa, ibid. cit. *quia nihil aliud sint quam implicita quædam venditio respectu exponentis merces suas, & sors divisoria respectu emptorum. E nostris omnes privatorum* Loterias *repudiant, nonnulli de publicis dubitant, ut* Amesius cas. lib. 4 c. 23. *quamvis tamen subdat*, prout nunc usurpari solent, videntur illicitæ. *Politici, inter quos Keckermannus, institutum laudant. Nos illicitas & Reipublicæ noxias esse putamus, quicquid bonum publicum prætexatur; tum quia cum injustitia, damno proximi & expilatione pauperum conjunctæ sunt; quod est contra legitimam rationem sortis divisoriæ; tum quia homines ad illicita media rem faciendi per aleas & sortes scilicet alliciuntur spe lucri proposita, sed fraudulentâ; tum quia certiori ratione & minori cum periculo & malorum syrmate per collectas Rei-*

publicæ aut pauperum necessitati subveniri potest? denique sequeretur hoc absurdum, quod eodem colore omnes lusus aleæ, quo proximi substantiam intervertimus, defendi possent.

THOM. GATAKERI.

De Sortitionibus istiusmodi quid sentiamus, diximus in *Tract. de Sort. c. 5.* §. 7. Nunc actum, quod ajunt, non agimus.

ANACRISIS XVIII.

§. *De sortitionibus &c. nunc actum &c. non agimus.*] Nec nos actum agimus. Si quid in his nostris censurâ notasset, non defuisset examen. Addo solummodo, anno 1595. in Synodo Hollandicâ, Roterodamensi contra loterias illas, quamvis antehac in Belgio nimis frequentatas, determinatum fuisse.

GISB. VOETII.

VIII. *Quid faciendum illi, qui aulicorum aut potentiorum familiaritate irretitus, non audet (ut prætexit) se expedire à lusibus aleæ, taxillorum, chartarum, ad quos subinde solicitatur.* Resp. *Concilium expeditissimum est, ut voto Deo præstito simul & semel ab ignobili illa ludendi servitute se absolvat. Votum illud ubi apud illos constanter professus fuerit, nulla, non di-*

eam religionis, sed ne civilitatis quidem speciepoterunt ipsi ultra molesti esse.

Thom. Gatakeri.

Non sum ego ad *Vota* istiusmodi suadenda proclivis: quum quam infelicem exitum sæpenumero sortiantur, plus nimio non sine gemitu compertum habuerim. Nec impediverim tamen, quo minus voto quis tali se obstringat, cui expedire id visum fuerit. Tantum ne de sorte ipsâ, sive in ludo, sive extra lusum usurpatâ, præsumptiones futiles & superstitiosas apud se foveat. Siquidem, ut inde concludam, unde Autor iste dissertationem proximam, de Provocatione ad judicium Dei orsus est: *Ubi testimonia aliæque probationes desunt, πέρας Controversiæ omnis constituit Deus juramentum. Sed audax hominum superstitio & alias inventiones addidit.* Et in his isti sortem, per quam, cum ad Dei *providentiam specialem & immediatam provocari contendant, idque sortientibus quibusve velint, nolint,* ingratiis obtrudant, tamen usu ejusdem, (in hoc sibi ipsi contrarii) in casibus eis omnibus interdicunt; in quibus judicio divino quicquam opus est.

Anacrisis XIX.

§. *Non sum ego ad vota &c. proclivis &c.*] Ego contra difficilis non sum ad vota

hoc in casu suadenda: quidquid per accidens aliquando evenerit? Est enim ludus ille res nec necessaria, nec utilis. Aliter se habent vota, circa usum talium vestium, armorum, ciborum, conventuum, collegiorum, locorum, temporum, aliarumque rerum per se utilium, immo aliquo in casu necessariarum.

§. *Nec impediverim tamen, quo minus &c.*] Accipimus, quod dat.

§. *Tantum ne de sorte ipsâ, sive in ludo sive extra ludum usurpatâ præsumtiones futiles & superstitiosas &c.*] Nos econtra caveri velimus profanas præsumtiones, de sortibus etiam super rebus maximi momenti (quales *anacr.* 13. indicatæ) sine ulla erga Deum reverentia, sine ullo ad ejus providentiam & specialem determinationem respectu, sine omni spe & exspectatione mittendis.

§. *Siquidem, ut inde concludam, unde autor iste &c.*] Temeraria illa provocatio ad judicium Dei, quam ego verbis à censore citatis merito rejeci, pro subjecto habet factum præteritum, aut præsentem animi dispositionem atque intentionem, de cujus veritate per testimonia, aliasque probationes hominibus constare nequit: ibi ullum ordinarium medium jure divino & naturali

turali relictum est, præter juramentum πέρας πάσης ἀντιλογίας. Sed quid hoc ad sortem divisoriam, quæ ex pacto seu conventione hominum missa controversiam terminat *Proverb.* 18. non de facto præterito, uti juramentum assertorium, nec de præsenti animi sensu atque intentione, uti juramentum tum assertorium tum promissorium. Ut Lectores censuræ ἀκριβείαν palpare queant, cogitent, si nullum πέρας controversiæ, nisi juramentum; ergo nec sorte divisoriâ res controversæ terminandæ. Quod absurdissimum, & contra *Proverb.* 18. *Numer.* 33. 1 *Paral* 24. *Actor.* 1. & contra lumen naturale, atque universalem experientiam.

§. *Idque sortientibus quibusque, velint nolint, ingratiis obtrudant &c*] Sic superstitio, idololatria, magia, tum directa tum indirecta seu interpretativa, & infiniti pænè nominis divini abusus ingratiis quotidiè imponuntur illis, qui protestantur, se hoc non agere, intendere, affectare; ne quidem per somnium de illis vitiis cogitare. Sed manum de hâc tabulâ: utinam aleatores de suâ!

ERRATA.

PAg. 38. lin 26. leg. γίνονται. p. 45. l. 11. aliqua p. 54. l. 17 juram. p. 55. l. 26. chartarumque p. 56. l. 4. canone.

PErlegi hunc Tractatum, cui Titulus est (*Thomæ Gatakeri Londinatis Antithesis*, *&c.*) in quo nihil reperio sanæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium, quominus cum utilitate publicâ imprimatur, ita tamen, ut si non intra tres menses proximè sequentes typis mandetur, hæc licentia sit omninò irrita.

Rmo. in Christo Patri, & Dno. D. Arch. Cant. Sacellanus Domesticus

GUIL. BRAY.

Ex Ædibus Lambethanis Martij. 15. 1637.

MANTISA.

HActenus teretiſmatis & παρέργοις ſigillatim excuſſis inſolentes cenſoris noſtri inſultationes, atque unà fluctus iteratâ libelli aleatorii editione, quaſi in ſympulo excitatos, repreſſimus. Poſſem ergo hic quieſcere, & erudito Ameſii hyperaſpiſti lampada tradere. Sed quia ſuſpicor aleatorum patres conſcriptos, eorumve patronos hinc depulſos, apologiæ cenſoris tacitè renuntiaturos, & alia quædam de novo excogitata commenta ſubſtituturos (ut nuſquam figere, nuſquam quieſcere ſolent, qui malæ cauſæ inſerviunt) non abs re me facturum exiſtimo, ſi duo quæ nuperrimè obtenta audio, hâc occaſione detegam, & ſcriptiones, (ſi forte manus ipſis pruriant ad θαυμάσια illa εὑρήματα publicanda) præveniam, ne ſcribendo quotidiè in pejus proficiant.

§. *Unum* effugium quæritur in caſu foliorum ex arbore in partem dextram, aut ſiniſtram, verſus orientem aut occidentem: quod purum putum contingens eſt, nullamque ſpecialem Dei providentiam, nullam

lam immediatæ determinationis & judicii divini exſpectationem, nullum determinationis & judicii divini reſpectum, nullam erga eadem reverentiam & religionem requirit; & conſequenter, ſi ludibundi circa caſum foliorum iſtorum aliquando verſaremur, nullus divini nominis abuſus committeretur. Jam vero par ratio eſt caſus aleæ, in ſortitione. Atque ita concluſum, uti putant, pro luſu aleæ. Commentum hoc geminum eſt cenſoris noſtri, de ſagittis mittendis, quod ſupra profligavimus. Sed diſcant tam infeliciter ſubtiles, caſus foliorum in ſe, abſtractè, & tantum phyſicè ac ſpeculativè ſpectatos non habere rationem ſortis, ſed toto cœlo à caſu teſſeræ in ſortitione diſtare, ut & à caſu folii in hanc illamve partem, à cujus determinatione per decretum aut conventionem & pacta hominum regnum, aut munus quodcunque aut pars hæreditatis, aut immunitas à ſupplicio capitali, tanquam à peremtorio judicio ſuſpenditur. Foliorum caſus in autumno, non magis quam hinnitus quorumvis equorum, aut conſcribillatio quarumvis ſcedularum eſt contractus ſortis, nec infert ſpecialem & certam Dei determinationem, peremtorium judicium, in quo homines acquieſcant. Sed ſi primus hinnitus equi

equi alicujus ex pacto regnum, (uti post exactos magos in imperio Persarum hoc contigit) si litera θ aut figura patibuli in scedulis scripta supplicium alicui adjudicet: non est somnianda mera contingentia. Ubicunque sors, ibi etiam contingens respectu causarum secundarum: sed non ubi sors, ibi merum contingens. Amplius enim quid continet ordinaria sors, quæ divisoria est, & sola nunc licita. 1. Controversum quid aut dubium in distributione, & assignatione munerum, rerum, laborum, periculorum; quod humano judicio commodè aut tuto determinari non posset. 2. Decretum aut pactum hominum, ad quos hoc pertinet, quo dubium sortis casui & judicio determinandum defertur. 3. Jactum seu missionem sortis, seu eductionem ex urnâ, seu spectationem casus folii, cui ex pacto determinatio & judicium in re dubia annexum est. 4. Certam casus sortis, aut folii ex arbore in hanc illamve partem, determinationem; nullâ causâ secundâ, nullo hominum ingenio, nullâ arte, nullâ industriâ productam. 5. Receptionem indicii & judicii illius, atque in eo tanquam peremtorio, & à superiori causa quàm humana profecto acquiescentiam. Cum de regno, de principatu, de munere publico,

publico, de periculo tempore belli, aut pestis, uni è duobus aut pluribus, adhæc de suspendio uni atque alteri inter plures milites seditiosos, aut inter captivos ex hostibus, secundum tristia retorsionis jura assignando, agitur, non puto illos, quorum interest, superstitionem in merâ contingentiâ quæsitam cum censore nostro cavillis & sannis excepturos: sed potius ad specialem Dei providentiam oculos animumque sublaturos, ab illa determinationem casus tesseræ aut folii cum reverentiâ exspectaturos, petituros; & si ipsis feliciter ceciderit, illi soli gratias animitus acturos; non ingenio, arti, industriæ, prudentiæ suæ, nec fortunæ, nec astris, nec dæmoni, nec phantasmati, nec nihilo, nec formalitati seu puro illi modo, qui metaphysicis contingentia dicitur. Vident nunc lectores refugium illud folii cadentis instar folii aut pulveris avolare, ac planè ἀπροσδιόνυσον esse.

§. *Alterum* effugium quæritur in conjectura an numerus aliquis sit par aut impar, e. gr. Petitur ab aliquo, ut dicat an nummos aut globulos, aut grana piperis &c. manus, bursa, pixis, capsula, &c. impari parive numero contineat; hâc conditione, ut si conjiciat, habeat tale præmium, talem hæreditatis agri partem, tale munus,

munus; aut immunitatem à captivitate, ſupplicio, periculo. Jam verò determinatio paris aut imparis, ante ab hominibus facta eſt, qui nummos, globulos &c. illic ſive ſcientes, ſive inſcii eo numero repoſuerunt. Ergo in illa ſorte non exſpectatur, petitur, reſpicitur determinatio ſpecialis providentiæ divinæ; numerus enim ille ante determinatus eſt, & conſequenter ratio formalis ſortis in eo non conſiſtit, ſeu illud non eſt de ratione formali ſortis. Quid tandem hinc illatum volunt? Licitum ergo eſſe ut pueris, quod illis tribuit Poëta, (*longa*;
Ludere par impar, equitare in arundine
ſic viris, aleâ, teſſeris, chartis ludere. Repono εὑρέταις hujus commenti aut formaliter ſortem diviſoriam eſſe in paris aut imparis conjectura; aut non eſſe. *Si poſterius* dicatur, fruſtra huc adducitur, cum ad rhombum non faciat. *Sin prius*; jam à tyronibus in philoſophia diſci poſſet, nec materiam, nec objectum aut ſubjectum, nec genus, nec differentiam remotam eſſe rei formam, aut ultimum actum qui ſpecificat. Atqui nummi in burſa repoſiti ſunt objectum, aut ſubjectum, aut materia circa quam verſatur conjectatio ſeu divinatio; & eſt præſuppoſitum quid actui conjectandi: ſolus autem actus conjectandi,
ſeu

ſeu divinandi hominum decreto, aut promiſſo, aut pacto ad conformitatem cum re, hoc eſt, cum numero in burſa determinato, certò in rebus dubiis adjudicat Titio aut Mævio munus, partem hæreditatis, immunitatem à periculo, captivitate, ſupplicio. Cum autem in talis humanæ conjecturæ convenientiá cum re ſortis ratio formalis conſiſtat, & determinatio ἐυςοχίας, ſeu felicis conjecturæ, à ſola ſpeciali providentiâ divinâ dependeat, non ab ullâ aliâ causâ ſecundâ, nec ab hominum conjectantium ingenio, conſilio, ἀγχινοίᾳ, arte, prudentiâ, induſtriâ: ſequitur ad Dei providentiæ ſpecialis determinationem, & peremtorium Dei judicium hic reſpiciendum, illud cum reverentia ab illo exſpectandum, ac petendum, illi ſoli pro felici conjectura & mentis certâ ac oris noſtri in illam partem determinatione, gratias agendas; non ulli cauſæ extra aut ſupra nos, fato ſcilicet, fortunæ, ſtellis, dæmonibus, contingentiæ, nec etiam nihilo. Ut autem infelicis hujus ſubtilitatis ἀλογίαν lectores palpare queant, commonſtro in propoſito exemplo duplicem Dei actum determinantem, unum quo tanquam primus motor concurrit ac præcurrit ad nummorum & quidem tali numero repoſitionem: alterum ad hominis

cogi-

cogitationem & sermonem immediatè conformandum cum dicto numero in bursam reposito. *Prior* actus est providentiæ mediatæ, quia utitur Deus causâ secundâ, eamque proprios motus exercere sinit, ut sub præmotione & prædeterminatione divinâ seipsam determinet ad actus singularitatem & specificationem. Et cum hic actus homini tribuatur tanquam causæ propriæ ac particulari, seu tanquam principio formali: sequitur in eo formaliter non constitui sortem aut immediatam superioris causæ determinationem, per quam proximè & immediatè huic aut illi res dubia adjudicetur, aut abjudicetur: sed esse eum solummodo objectum aut materiam circa quam sortitioni subjectam ac præsuppositam. *Posterior* actus divinandi in hanc aut illam partem conformiter rei, de qua fit divinatio, est providentiæ Dei immediatæ; quæ sola mentem ac sermonem determinat ad certò & conformiter cum re divinandum. Siquidem in occultis illis sive præteritis sive præsentibus divinandis non magis utitur causâ secundâ, aut ingenio, scientiâ, arte, prudentiâ, exercitatione hominum, quam in divinandis futuris contingentibus. In hoc ergo actu conjecturæ seu mavis divinationis, formalis ratio sortis & deter-

determinatum de re dubiâ, superioris causæ judicium consistit : non in actu priori quo nummi in bursam condebantur. Haud aliter ac in cognitione & relatione præteriti somnii Nebucadnezaris à Daniele factâ actus divinæ prophetiæ formaliter consistebat; unde judicium immunitatis ab intentato mortis supplicio, & collationis promissi præmii suspensum erat:non vero in somnio Nebucadnezaris, quod erat illius propheticæ relationis & judicii objectum præsuppositum. In loteriis (vulgo ita dictis) nec e. gr. calicis argentei (pretii scil. determinati 30 flor.) fabricatio, emtio, & inter pignora lucranda collocatio, nec determinata nominis Titii aut Hermachi in una aliqua scedula, & nominis calicis aut annuli in altera aliqua scedula scriptio, nec pretii (e.gr. 2. aut 3. flor.) pro qualibet scedula solutio, nec denique scedulæ nomine Titii signatæ in urnam injectio, nec ullus alius actus, ulla alia determinatio ad actum formalem sortitionis præcedanea, aut tanquam objectum ejus præsuppositum prærequisita, est actus formalis sortitionis aut rei dubiæ per sortem determinatio quâ Titio calix ille adjudicatur. Sed sola scedulæ nomine Titii signatæ ex una urna, & simul alterius scedulæ nomine argentei calicis signatæ

gnatæ ex alterâ urnâ eductio est actus sortitionis formalis, determinans rem dubiam, & Titio dictum calicem, ex vi contractus loteriæ, adjudicans: nullo artis, prudentiæ, industriæ humanæ actu intercedente. Ostendamus & alio in exemplo hujus distinctionis necessitatem. Milites 100. numero determinato scilicet, determinatè in movendam seditionem conspirârint. Omnes determinatè capti sint. Ex omnibus sex per sortem seligendi, qui supplicio capitali determinatè adjudicentur. Sex scedulæ nigro theta, aut ferali patibuli figurâ determinatè signentur, reliquis 94. scedulis nullo charactere aut signo notatis. Singuli milites scedulam ex urnâ educant, aut commentariensis pro singulis ordine per decurias dispositis scedulam educat; quâ eductione aut immunitas, aut supplicium cuilibet determinatè adjudicetur. Quis hic dicet ullum actum, ullam determinationem prçter postremam, esse determinationem specialem & judicium sortis, quo extra & supra omne judicium humanum ex reis Titius perit, Mævius evadit. Quis in hac sorte in se & respectu hominum educentium dubiâ quidem atque ἀορίςῳ, non videt specialis providentiæ divinæ certam determinationem? Quis ex sortientibus ante eductionem scedulæ

dulæ ſuæ divinam miſericordiam & providentiam fide & precibus non adiret, quis poſt felicem caſum eidem gratias non ageret, & hanc evaſionem illi ſoli non adſcriberet; niſi Atheus aut Epicureus? Certè, ſi terminus vitæ & momentum mortis Titii apud Deum fuerit determinatum & deſcriptum, utique & illa ſiniſtræ ſortis eductio apud Deum & per Deum neceſſariò determinata eſt, nec potuit hoc reſpectu felix illius ſors exire: juxta immotam veritatem de fatali termino vitæ alibi peculiari tractatu à nobis defenſam. Quid ſi aliud exemplum addamus, quod propoſitam conjectationem propius attingit. Sit quis inter Barbaros captivus, & miſeræ ſervituti addictus; cui tamen per interceſſionem alicujus libertas promittatur, ſi divinare queat, ſintne in arca aut burſa nummi nec ne, aut nummorum numerus par, an impar. Hic nulli præcedentes actus, nullæ hominum determinationes circa nummorum quantitatem, qualitatem, ſitum, ubi &c. nullæ res determinatæ, ſunt illud formaliter determinans & libertatem captivo illi ex conventione aut promiſſo adjudicans; ſed ſolus actus conjectandi ſeu divinandi, rei conjectatæ conformis. Qui ſi ad ſortem diviſoriam reducitur, ideo planè de determinatione, illâ,

illâ, deque uſu & abuſu ejus ſtatuendum, quod de omni ſorte ſtatuendum jam ſatis ſuperque probavimus: ſi ſecus, ἀπροσδιονύσως divinatio ſeu conjectura ad jubilæum luſibus aleæ, fritilli, chartarum lucrandum in ſcenam protruditur. Nos tamen ſortem, aut ſaltem analogum quid ſorti in ea agnoſcimus; & concludimus, uti de omnibus ſortibus ludicris, viro pio nec avari lucri, nec meræ oblectationis ex temporis fallacia, aut ex victoriæ gloriâ capiendæ causâ, τὸ par impar ludendum eſſe. De omnibus aliis determinantibus actionibus, circa cuborum puncta, chartarum figuras, à caſu ſortis rem determinante & adjudicante Titio abjudicante Mævio, diſtinctis ſimiliter judicandum. Atque ita divinationes paris imparis, juxta cum ἀεροβατοῦσι Sibyllæ foliis, verè evanidas & chimæricas ſubtilitates Deo veritatis aſpirante, diſſlavimus. Nihil reſtat, quam ut eos, quibus forte de intrinſeca luſus aleæ malitiâ, & de inſeparabili nominis divini abuſu adhuc coniſcare, aut ſaltem dubitare liberet, orem atque obteſter, ne indecoræ & ſcandaloſæ hujus contentionis funem ita reciprocent, ut virorum de hoc ſæculo, ex ordine principum, magnatum, purpuratorum, aulicorum, nobilium, divitum, militum, mercatorum, pragmaticorum,

corum, literatorum, lubentiæ, fortè & propriæ ſuæ ſuorumque praxi magis velificari videantur, quam conſcientiarum ædificationi ſtudere. Probè nôrunt aut ſaltem noſſe debent, orbem reformatum ſuperſtitione & libertatis Chriſtianæ imminutione minimè urgeri, ſed magis ſecuritate, licentiâ, conformatione cum hoc ſæculo. Contra hæc mala communibus & decretoriis armis exemplo Patrum, & Doctorum ſupra *anacr*. 9. adductorum, pugnandum eſſet: non προφάσει diſſenſionis in unâ hypotheſi, aut argumento nimis contentiosè quaſi pro loci victoria, vellicato, bellum civile excitandum, manus impiorum firmandæ, corda juſtorum contriſtanda, parvuli ſcandalizandi. *Si quis unum ex parvulis &c. ſcandalizaverit &c.* Matth. 18. v. 6. Quod ſi qui ab animo ſuo hoc nondum impetrare queant, ut miſſa aut ſepoſita tantiſper hujus particularis controverſiæ agitatione, ſymmachiam contra aleas cum heroibus ſupra memoratis ſuſcipiant; iterum oro & obteſtor eos, ut ſaltem ſilentio litare malint, quam clandeſtinis ſuſurris aut publicis contentionibus deſtruere quæ parentes & majores noſtri ab initio reformationis & hic & alibi tanto zelo non ſine ſudore & ſanguine ædificarunt. Quidquid facturi & quidquid fu-

turum.

turum sit, nos saltem cum Deo, ne ad momentum quidem in his aliisque conscientiæ casibus, & rebus apud reformatos judicatis cujusquam sive repetitis sive repetendis sophismatis, sive de novo excogitatis commentis, cothurnis, & χρύσποις τῆς αἰσχύνης cessuri sumus; certi *non esse sapientiam, non prudentiam, neque consilium contra Dominum*, Proverb. 21.

Omissa hæc inserenda anacrisi 9.

Gulielmus Peraldus Theologus & Episcopus Lugdunensis, qui anno 1255. obiit, in Summa virtutum & vitiorum *tom.* 2. *tract.* 4. *part.* 2. *sect.* 15. non tantum omnes ludentes, absque ulla exceptione, peccati arguit, sed & omnes qui ludentibus se immiscent, qui locant taxillos vel alia ad ludum necessaria, & quorum in domibus luditur.

Synodus provincialis Zelandica habita Tholæ anno 1602. *artic.* 25. statuit ab usu cœnæ arcendos, nisi moniti desistant, si qui apertè aleâ aut chartis ludere consueverint; & si accedat notabilis contemtus, à communione ecclesiæ tandem excludendos. Eidem censuræ subjicit omnes, qui talibus ludis fovendis seu sustentandis rem familiarem augent.

FINIS.

